ANGELI CARDINALIS DURINI

A D

DOMINICUM ALFENUM VARIUM J. C.

In Regia atque Imperatoria Ticinia Universitate
Pandectarum & Juris Feudalis
Antecessorem

C A R M I N A.

+ *Accedit hujus ad eundem Eminentissimum Cardinalem epistola.*

T I C I N I R E G I I.
Typis R. & I. Monasterii S. Salvatoris
Per Josephum Bianchi,
Superiorum permissu.
CIƆIƆCCLXXX.

+ *Et iterum eodem anno Neapoli, addita epistola* JOANNIS ANTONII LANDI.

Rursumque
Senis Anno MDCCLXXXI.

AMŒNIORUM LITTERARUM CUPIDO

SENENSIS TYPOGRAPHUS

S.

ETsi non injuria Typographis objicitur, plerumque nimio lucri studio Lectori fucum facere consuesse, plus æquo quod suis typis edunt, magnifaciendo; opella tamen, quam nunc, humanissime Lector, tibi sisto, jure quidem commendari, eruditorumque hominum manibus teri merebatur. Etenim (præter Ampliss. doctissimique Cardinalis Durini cedro digna carmina, quæ opellæ occasionem præbuerunt) duas complectitur epistolas, alteram Dominici Alfeni Varii, alteram Joannis Antonii Landi. Ac sicut prior, sive Alfeniana, barbari ævi sermonem, stilum, ingenium graphice exprimit, ut ab aliquo ipsius Langobardicæ ætatis scriptore illam fuisse exaratam jurares; ita posterior, sive Landiana, nitore, elegantia, recto sensu, & Atticorum salium copia, Augustei pene sæculi effigiem repræsentat. Utraque igitur epistola, tametsi suo quæque pretio, perdigna mihi visa est, quæ typis meis ab integro, & castigatius recuderetur. Siquidem editio Neapolitana, quamvis specie nobilior, non paucis tamen, nec levibus mendis fœdatur. At longior esse nolo. Verax, an fallax sim, tute melius judicabis. Vale.

ERUDITO LECTORI

TYPOGRAPHUS NEAPOLITANUS

S. D.

Quandoquidem feriis autumnalibus, quæ ceteris feriis sunt diuturniores, Curiales, Professores, Academici, & quotquot seu vere, seu ficte amant litteras, qua valetudinis, qua oblectationis, qua commentandi causa, rus omnes abeunt; dici non potest, quantopere ars typographica (litterarum comes & ministra) & grex operarum, multo nunc, quam antea, numerosior, atque egentior, id temporis laboret. Nam quæ Curialibus (quorum maxime non intermisso accusandi ac defendendi studio stat floretque Neapoli ars typographica) aliisque litterarum cultoribus acceptæ, jucundæ, salutaresque feriæ sunt autumnales; typographis contra infensæ, calamitosæ, prorsusque esuriales sunt feriæ. Cum igitur feriis hisce male mea feriaretur officina, & ipse & ingens operarum familia otio marceremus; commodum venit ad me Joannes Antonius Landus (Vir ab ingenio, doctrina, & inexplicabili poetica felicitate laudatissimus) meque manu prensans, bono animo es, inquit: affero tibi commentariolum, quod si celeriter typis committas edasque, præsenti tuæ esuriei suppetias feres, & rusticantibus eruditis Viris non futilem voluptatem præbebis. Dominicus Alfenus

fenus

fenus Varius, sodalis meus, summusque medii & barbari ævi Jurisconsultus; qui nec semel, nec instrenue, quamquam infeliciter, pro cathedrario munere Neapoli decertavit; Ticini vero, hoc anno, Pandectarum & Juris Feudalis Antecessor plausu quanto maximo creatus, latinæ epistolæ (quam paucis abhinc diebus Ticini publici juris fecerat) mihi, & ordinis mei litteratis complusculis interioribus suis, exemplar dono misit. Qua in epistola cum solito liberalius reconditos eloquentiæ, doctrinæ, elegantiarumque thesauros suos aperuit; tum, quod unum dolui, injuriarum, quas Neapoli accepisse opinatur, impotentius, &c., pro personæ, quam nunc gerit, dignitate, minus decenter commeminit. Quamobrem Angelus Quiritallus Majo (quocum mihi vetus etiam est necessitudo) servitiorum lycei ætate, sollertia, facundiaque princeps (ad quem etiam epistolæ suæ exemplar imprudenter miserat) illico me (quem Alfeno carissimum noverat) convenit, deque Alfeni epistola mecum vehementer expostulans, usque adeo ira excanduit, ut, me quamvis invitissimo, epistolam e sinu extraxerit; atque a capite ad calcem legens, ne uni quidem verbo parcens, mendis turpissimis scatentem mihi ostendere ausus fuerit. Quoniam vero cum magno adolescentium latino sermoni operam navantium comitatu venit, & coram eis asperrime Alfenum meum adoriri veritus non est; officium meum esse putavi, in tam gravi causa, veteris amici sodalisque, & de medii barbarique ævi amœnitatibus optime meriti existimationi pro mea virili parte consulere, & accusationes Angeli Majonis quoquomodo refellere. Itaque futurum spero, ut

Alfe-

Alfenus, amicique ejus, qui nec pauci sunt, nec Alfeno ipsi doctrina, ingenio, auctoritate concedunt, intelligant, tantam apud me amicitiæ vim esse; ut absentis hominis, nec de patria, lyceo, professoribus, ut par erat, magnopere meriti, rationem habuerim; ejusque causa, Majonis, mihi quoque conjunctissimi, amicitiæ magno libentique animo nuntium remiserim. Quæ igitur audacius, acerbius, petulantiusque Alfeno objecerit Majo, quæque ipse, Alfeni mei vindicandi gratia, ei responderim, epistola complexus sum; quam si tu una cum latinissima eruditissimaque ipsius Alfeni epistola cum litteratorum ruri nunc commorantium otiosorumque lectissimo cœtu, typorum ope communicaveris, & tibi utilem, & illis rem gratissimam feceris. Quibus auditis, haud cunctanter manum operi admovi: namque communis & singularis doctorum hominum cum nostræ, tum Ticinensis Civitatis, de Dominico Alfeno Vario opinio, & æqualis (aut fortasse major) Landi fama, nomen pretiumque huic opellæ conciliatura mihi fore visa sunt. Ceterum, si judicium meum proferre possem, dicerem, acerrimum inter Alfenum Ticinensem Antecessorem doctissimum, & lycei nostri non ineruditum servum Majonem, de re grammatica certamen esse, sedente pro tribunali Cl. Joanne Antonio Lando, feriali festivoque nostri lycei Antecessore. Hac autem ætate (quemadmodum privatim & publice dicitur) eo perducta res est, ut cum omnes philosophi esse velint, omnesque physica, metaphysica, dialectica, omniaque illustrare allaborent; perpauci ad rem grammaticam animum adjiciant quo. Ex factum est, ut grammatici, qui

uni

nui olim agitabant, nunc neglecti posthabitique jaceant; non levi severiorum disciplinarum detrimento. Quapropter cum satis superque suam philosophi dominationem exercuerint; æqui ratio postulabat, ut aliquandiu quiescerent, & grammaticis concertationibus locum darent. Interea vero profuerit philosophis ipsis & laxamenti, & eruditionis gratia, nonnihil de suo jure decedere, & grammaticis disputationibus tantisper aures admovere. Nam, ut ab litteratissimis viris accepi, plerique philosophi, grammaticæ disciplinæ aut ignoratione, aut contemptu, cum in disserendo aridi obscurique, tum in scribendo incompti absurdique sunt. Postremo sive philosophorum, sive grammaticorum verior sit causa; illud quidem certum est, rerum omnium vicissitudinem & satietatem esse. Si quid autem philosophici argumenti posthac mihi edendum obvenerit, non gravate faciam, teque a grammaticorum senticetis ad frugiferos philosophiæ campos reducam. Ac ne te pluribus, humanissime Lector, obtundam, mercem tibi meam nullo mangonico artificio, sed paucis simplicibusque verbis exposui. Tuum modo est, labori inopiæque meæ autumnali largiter celeriterque succurrere. Vale. Neapoli X. Kal. Novembr. Anno MDCCLXXX.

TYPOGRAPHUS (TICINENSIS)

BENEVOLO LECTORI

S.

Forte pervenere in manus Angeli Cardinalis Durini limatissimi versus, quibus Dominicum Alfenum Varium J. C. & in hac nostra Ticinia Academia Antecessorem laudavit. Necnon hujusdem ad eundem Eminentissimum Cardinalem epistola latine scripta. Expetebantur undique earum rerum exemplaria, quod ut omnium commoda faceremus, typis vulganda censuimus. Equidem nos Insubres, more quodam majorum, magni facimus decora ingenia, nam qui sunt in nostra hac studiorum universitate, & qui fuerunt (fuere quidem quamplurimi & sunt diversis ex regionibus acciti) semper in honore sunt habiti, & habentur. Varium vero supra ceteros diligimus & amamus; nam praeter susceptum suum institutum, quod laudabiliter gerit, ut vetera nostra restituat monimenta a tabulariis nostris suscipienda, ab eo speramus ac diligentiae suae confidimus. Fuere quidem apud majores nostros multa eaque praeclara & memoratu digna, quae vel injuria hominum, vel ipse confectrix omnium vetustas ad interitum redegit, vel in tabulariis consepulta jacent; quae supersunt ut luci omni suae pristinae restituantur, in optimo viro spes omnis nostra reponitur. Tu interim aequi bonique consule, & vale.

. . . Nil ſine magno
Vita labore dedit mortalibus . . .

Horat. Lib. I. Sat. IX.

ANGELI CARDINALIS DURINI

A D

DOMINICUM ALFENUM VARIUM J. C.

In Regia atque Imperatoria Ticinia Univerſitate
Pandectarum & Juris Feudalis Anteceſſorem

C A R M I N A.

ABſtruſum nihil eſt VARIO: luci omnia ſiſtit;
Cunctaque reſtituit, quae ſenium abſtulerat;
Foedarant blattae ſiquidem monumenta Papiae,
Et rudis inſciti cura Magiſterii.
Ingemis, exitioque, VARI, jam occurris iniquo,
Atque amiſſa facis tot monumenta loqui.
Audit Barbaries, & de me nunc, ait, actum eſt
Hac una potui morte, manuque mori.

QUis ſat laudabit VARIUM? tumulo excita priſco
Erige honoratum, priſca Papia, caput;
Nec flammam metue aut tenebras; ſecura ſenecta
Aeterna es VARII munere facta novo:
Jupiter aeternis ut te demerſerit umbris,
Te qui reſtituat Jupiter alter hic eſt.

TArtareo Alcides Ægiden ſolvit ab Orco;
Antiquae id praeſtas, magne VARI, Papiae;
Is ferri, verum tu acie ingenii; ille Sodalem,
Tu Papiam; veſtrum quis, rogo, major erit?

PRiſca novis confer: nil Varrone Auſonis ara,
Nil majus VARIO nunc habet Inſubria.

TOt Papiae VARIUS pandit monimenta; magister
Sit Papiae ut VARIUS, sit simil atque Parens.

PEr te prisca, VARI, per te instaurata Papia
Vivit, uti Phoenix morte renata sua.

DEbuerat quod Varroni prior inclyta Roma,
Debebit VARIO ROMA SECUNDA suo. (1)

(1) *Roma secunda*: De Papia hoc dicitur, & vere, alteram fuisse Romam a principatus sede, scilicet ab ea nomen fuisse acceptum ac derivatum patet, quae a Gothis hoc loco locata a Longobardis Francisque retenta est. In porta Ticinia iniectoque olim Ticino amni ponte inscriptus lapis est, in quo inter cetera hoc legitur elogium, *Roma secunda vale*... quod quidem ut hoc loco nunc, ita olim in aliis hujus urbis portis legebatur, de qua re adeundus Capsonius vir eruditissimus & amicissimus in libro Italice conscripto *Originum & privilegiorum Papiensis Ecclesiae pag.* 45. Sunt qui hoc marmor Papiae abjudicant, & alteri civitati potius quam huic fuisse illud dedicatum consecratumque asserunt. Ego hoc loco lubens volens quaestionem declino, neque ab hoc lapide Papiensis vetustissimi principatus fidem mutuo, sed a re metipsa, quae tot Scriptorum testimoniis firmata, nullum relinquit dubitandi locum, & lapidis firmat auctoritatem. Hoc unum certum est, de urbe principe poema fuisse recitatum. Excutiant quaeso aetatem lapidis simul ac poëmatis, invenient ea hujus aetate alteri civitati, a qua marmor volunt fuisse subreptum, principatus defuisse praerogativam.

Ad

AD te carmina mitto nec Latino
Nec Graio ſale tincta, nec lepore:
Quae ſi judicio tuo probentur,
FONTANA, & placeant tuo, meoque;
LAMBERTENGHE, tuae influant & auri;
Nil vulgus reliquum moror profanum,
Vos, vos Curia, Cenſor, & Quirites.

Hoſce verſiculos omnes ſub ſtragulis ſcripſi, quum ſomnum oculis admittere non poſſem, adeo heri (ſit verbo venia) me *electrizaſtis*. Videtis qualis quantuſque in occulto lateam ad exemplum pii Aeneae

per noctem plurima volvens.

DOMINICUS ALFENUS VARIUS J. C.

ANGELO CARDINALI DURINO

S.

VIII Id. Quinctilis sacer dehinc mihi erit PRINCEPS EMINENTISSIME. Nudius tertius is dies fuit, quo remissa paululum dignitate auctoritateque tua, advenisti, ut me cognosceres, opem etiam patrociniumque tuum ultro mihi offerres, studiisque meis, quibus vetera monimenta illustrari posse confidis, te adesse prodesse ingentem animum spopondisti tuum. Fuere etiam nobiscum selectissimi collegae mei GREGORIUS FONTANA ANTONIUSQUE LAMBERTENGHIUS aliique plurimi viri docti ac diserti. Incidit sermo de veteribus populis graecis latinis punicis earumque gentium poetis oratoribus philosophis, apud quos tum res gestae suorum relatae sunt, tum ceterorum, cum quibus ipsis negotium fuit, populorum, iisque familiare leges mores ritus cerimonias affectusque animarum suis non tam explicare verbis quam propria consuetudine. Ab his prolapsa oratio est ad Herulos Gothos Longobardos Francosque, qui olim Italiae imperitarunt, sedemque imperii in illustri hac PAPIAE urbe posuerunt, diutiusque retinuerunt, ita ut magno nobis ornamento haec civitas sit amplissimaeque auctoritatis. Ego pro viribus egi, ut quae mihi fuere praecognita assidua opera perpetua-

que

que lectione, aperirem & coram recitarem. Ingens fuit omni in re atque in hoc potissimum domestico monimento voluptas tua, gaudio totus perfusus es, ita ut nocte sequenti, quos redeunte mane ad me misisti, elegantissimos scripsisti versus quamvis citissime dictatos, prisca puritate venustateque. Veni ego ad te in aedibus Gambaranis (quae gens hujus urbis vetusta est & nobilis tibique cognatione conjuncta) alia te scribentem carmina comperi de Balestrerio lepidissimo Mediolanensi poeta nuper extincto. Dii immortales! quantum est ingenium tuum! quanta ejus acies! quanta vis animi! Carmina scribebas nobis astantibus, atque in ipsa turba matutinae salutationis, uno eodemque temporis puncto aderas advenientibus, neque deeras musis. Par ingenio amplissimum geris eminentissimumque sacerdotium, litas musis, & religioni sacra facis. Utinam tibi contingat, quod a Deo optimo maximo precamur, ut aliquo in musarum domicilio insigne nanciscaris sacerdotium, te auspice una cum litteris foveretur religio, ara sacellum templum bonis avibus laetisque portentis instituerentur dedicarentur religioni simul & sapientiae. Dii hominesque, quibus est rerum humanarum imperium & potestas, vestram fidem appello, tantae rei humano generi necessariae perutili date opem celerem subitam praesentissimam. De me vero obnixe in restituendis veteris PAPIAE monimentis omnem conatum impendente, maximus est tuarum laudum cumulus. Ego hanc urbem PRINCEPS EMINENTISSIME, patriae loco diligo, hic mihi esse videtur domesticus focus, hic lar ille meus familiaris.

AUGU-

Augustae domus imperio ad Insubres hasce Athenas vocatus amplissimis muneribus sum amplificatus, administrorumque Augustae ejusdem gentis Firmiani Wilcekii Pecciique bona gratia voluntateque recreatus. Scio a Caesare pio felici tanta in me derivari ingentia beneficia. Sed locus in quo iis fruor Papia est. Anne ego ingratus atque immemor beneficiorum ut sim, pro viribus non agam, ut vetera hujus urbis principis Italici regni monimenta in illustri haud ponam documento, tanta in me collata bona posteritati testatura? Velim ut mihi vitae duplicetur spatium, non ad voluptates non ad opes, quae fluxa omnia sunt & caduca, sed ad rem, uti ea concepta est, absolvendam perficiendamque. Magna mihi praestantissimae hujus urbis est auctoritas, magnum est splendidissimi ordinis decus, civiles sunt totius populi mores. Urbanitas Papiae, ut Longobardicam omnem civitatem decet, est plusquam latina, omnesque me amore benevolentiaque prosequuntur. Universitates collegiaque antiquitus constituta perdurant, ac more majorum retinentur. Cognitorum illud, quod doctorum nunc dicitur, patriciis viris refertum adhuc existit. Tabellionatus in honore etiamnunc est. Mercatorum honestus ordo suo etiam jure collegii utitur. Cuique eorum sacra sunt peculiaria. Sunt & quamplura talia. Omnia in hac urbe laeta sunt, omnia tranquilla. Hoc miror querorque omnem hominem ignarum rerum humanarum rationemque feudorum praecipue docentem, omnia antiquitus sanctissime instituta contaminasse corrupisse delevisse Gothos Longobar-

gobardos Francos, tantique eſt apud auditores ſuos praejudicata opinio, ut etiam ſine ratione valeat auctoritas. An alibi intra vel extra Italiam ſunt, ut in ſplendidiſſima urbe principe vetuſtiſſima haec monimenta civilitatis, etiamſi conſederit in ea Gothus Longobardus Francus? Reiicienda haec ſunt ad corruptiſſimos Italicarum gentium mores, ex quibus vetus inſtitutum concidit. Sed quoniam abſtruſa haec ſunt, obſcuraque pro ratione temporum, atque ei incomperta, turpi cum mendacio quae exolevere quorum dixi principum ferro tribuit. Iis omnibus ego auctor ſum, quibus civitates ad veterem faciem inſtaurare, atque ad priſcos mores componere voluntas eſt & poteſtas, unam hanc urbem exempla inſtitutaque omnia eos perdocere poſſe. Quid de hac ſtudiorum univerſitate dicam? Docent in ea profeſſores undequaque honeſtis locis evocati arceſſitique; eorum quiſque non ſolum libris addictus quam obrutus, mutuo amoris vinculo vincitur, nectitur, de virtute tantum certat. Bibliotheca graecis latinis barbaris libris eſt refertiſſima. Horti botanici miraculo ſunt viatoribus, inſtrumentorum machinarumque matheſeos & mechanices, rerum naturalium etiam ampliſſima eſt ſupellex. Regia imperatoriaque magnificentia inſtructa atque aucta ſunt omnia, ubique terrarum tanta totque mirabilia non alio viſuntur loco quam hic. Non eſt tamen apud nos plebeia illa fex ſellulariorum, viliſſimi opifices, qui fortuna miſeri, voluntate perditi ipſum ſellae opus quaeſtus quotidiani loco habent, neque ipſa praefervida in aeſtate ſibi parcunt,

cunt, quotidie docent, discunt nunquam, ita existimant salvum habere quotidianum quaestum, ut quem doctum virum honestum in civitate suspiciunt, calumnia turpi inurunt, eique oblatrantes occurrunt, conviciisque e trivio arreptis afficiunt, & quum eum pessundare verbis volunt, id non obtinent, nihil aliud faciunt, ut navim in qua ipsi navigant perforare conentur, proximique sunt, quos fluctus absorbeat. Abest procul a nobis foeda haec pestilitas saevaque contagio. Haec omnia quae dixi pro immensitate beneficiorum DOMUS AUGUSTAE in me collatorum, pro dignitate etiam hujus urbis animos augent, ut quam citissime vate Sacco amplissima civitatis adeam tabularia antiquis referta monimentis. Veniam etiam Modiciam tuam, (quod municipium nobilissimae genti tuae foedere feudali paret), quae omnia conquirere possum documenta colligam atque explicabo etiam, quibus locis operum meorum inseri possunt a me recensenda expectent. Neque sumptui parcam neque labori, ut praestantissima haec urbs supra ceteras Italicas caput efferat,

quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Te oro etiam atque etiam, MOECENAS EMINENTISSIME, ut valeas. Dabam Papiae VI. Id. Quinct. anno Christiano CIↃIↃCCLXXX.

DOMINICO ALFENO VARIO J. C. CL.

Et in Ticinensi Lyceo

PANDECTARUM ET JURIS FEUDALIS ANTECESSORI

JOANNES ANTONIUS LANDUS

JURIS CIV. ET PONTIF. ANTECESSOR

Diebus festivis & ferialibus

F E L I C I T A T E M.

CUm inopinatus ac præceps, Alfene Cl. tuus e patria discessus, quem improbi malevolique fugam vocant; me cum primis sodalem tuum, & lyceum, & doctos omnes civitatis mœrore affecit; tum vero epistola, quam mihi a te reddidit eruditissimus C. Asinius Brutus necessarius tuus, ingentem mihi vim lacrimarum expressit. Quamquam enim veteris nostræ consuetudinis, parilisque litterarum studii causa tam mihi tu perspectus esse debuisti, quam ego mihi esse debeo; postrema tamen epistola tua perelegans atque ingenii doctrinæque luminibus refertissima, uberius luculentiusque, qualis quantusque Vir esses, mihi declaravit. Propterea in maximo luctu sum, cogitans, quantam, te hinc profecto, jacturam lyceum, adolescentes, & universa litteratorum natio nostra fecerit. Augetur etiam luctus, quoties considero Ticinensis lycei ætate atque incuria gloriam senescentem, per te integrari; no-

ſtri contra, quæ, cum hic eſſes, vigebat & in dies gliſcere videbatur, te non amplius anno abſente, plane interiiſſe. Inimicis æmuliſque tuis, Alfene, quorum aſtu invidiaque e patria aufugiſti, Dj malefaciant. Ego vero non ante cum hilaritate in gratiam rediero, quam te honorificentiſſime, ac te digno ſtipendio in patriam, & lyceum revocatum reſtitutumque videro. Verumtamen, Alfene, tu, qui doctrinam, eruditionem, philoſophiam, juriſprudentiam (quibus ad miraculum ornaris) eo omnia tendere intelligis, ut optimum civem eſſe addiſceres, parce dolori, & quas a paucis imperitiſque injurias accepiſti, patriæ, civium, bonorumque (qui plurimi ſunt, teque impenſiſſime diligunt) caritati remitte; & noſtræ conſuetudini da, ut per me exoreris, & in patriam revertare. Injuriarum, quas illuſtres Viri ab iniquis pertulerunt, plena omnis eſt hiſtoria. Cujacium tibi reduc in memoriam (qui præter propter mihi & tibi par fuiſſe creditur) Furcatulo poſthabitum. Ac ſi domeſtica exempla quæris, innumera tibi referrem, niſi prudentia prohiberet. Me ipſum intuere; in me, tamquam in ſpeculum, rerum vices inſpice. Poterat ne quis alius (cave, ſi te noſti, me glorioſum putare) plura & meliora in utroque jure, in theologicis, philologicis, hiſtoricis edere? Qua in re ingenii, doctrinæ, eruditioniſque ſpecimen non dedi? An alius ad hanc diem hebraice, græce, latine, etruſce, gallice, hiſpanice, turcice tot pulcherrima ex tempore carmina compoſuit? Quid inde tamen? Tu vero, mi Alfene, ſi æquus eſſe vis, haud

haud me te doctiorem, facundioremque jactaveris. Satis nos inter nos ab ephebis novimus. Recte, sapienter, concise tu quidem scribis, ut Tacito pressior, acutior, sublimior nonnumquam videare. Qua tamen in re tibi non concedo. Nam si te identidem auditor vel lector non assequitur; ipse persæpe quid eloquar, vel scribam, non intelligo: quod ego pari, aut majore studio, quam tu, præstare conor. Nec enim quæ tot annorum improbo labore didicimus, imperitis nebulonibus enucleata præbenda sunt. Atqui ego inter putativos professores usque adhuc recenseor? Te igitur sodalis tui exemplo consolare. Officiebat, Alfene, mea & tua doctrina, eruditio, eloquentia, orisque suavitas ineptis nostris litteratoribus. Atque isthæc fuit causa, quamobrem uterque ejecti sumus. Tu vero multo me (jure, an injuria, non quæro) fortunatior fuisti, qui cum domi æmulos malignosque habueris; foris tamen admiratores, laudatores, fautoresque nactus es; quos inter S.R.E. Cardinalem Amplissimum doctissimumque, cujus carminibus prope in cælum elatus es, merito ceteroquin tuo. An putas, si in patria permansisses, tantum tuarum laudum præconem te reperturum fuisse? Ergo, si sapis, domesticas injurias libenter potius & cum voluptate reminiscere. Nam si domi (non in oppidulo Salæ tuæ, Picentinorum, an Lucanorum incerto, sed Neapoli, in communi scilicet provincialium cultiorum patria & sede) perstitisses; magnopere vereor, ne tu pariter inter imaginarios professores mecum connumerandus fueris. Æmulis igitur inimicisque a te gratiæ agen-

 dæ,

dæ, atque habendæ sunt, quorum injuriæ tot tibi fortunas pepererunt. Adde; eo nunc te apud cives tuos loco esse, ut si statim isthinc in patriam revenias, aut rei agrariæ, aut obscuri fabulosique ævi creetur schola, ultroque tibi deferatur. Sed ante factum consilio opus est. Nunc tibi Ticinum, totque nobilissimi Viri certatim honores, opes, divitias largiuntur; ingrati animi esset, tantis beneficiis non obstringi, & vetera situque intermortua celeberrimæ civitatis cimelia, diplomata, & monumenta cetera e tenebris non eruere, supplere, illustrare. Tibi hæc demandata est provincia; hanc igitur explica & exorna. Nec ullus dubito, quin ex mutilis Langobardicæ vetustatis ruderibus ingenium tuum aurum purum putumque veteris sapientiæ sit collecturum. Hoc munus suscipe, hoc obi, hoc perfice; interea quadriennium (quod certum constitutumque tibi istius Ticinensis negotii tempus est) elabetur, & honeste, opimisque spoliis onustus, Diis bene vertentibus, in patriam remigrabis. Me audi. Scio plures esse, qui te protinus evocent, ut te colloquioque tuo fruantur suavissimo, maxime cum paullo uberius iræ, aut genio indulseris. At sibi, non tibi, boni homines consulunt. Nam si voluntarius & perhonorificus tuus discessus, fuga inimicis malevolisque visa est; reditus celeris amicis etiam & benevolis fugæ indicium erit. Mane igitur quod restat triennium Ticini, munus exple, & tuam patriæque gloriam amplifica, & loculos sacculosque imple, ut alacrior erectiorque ad nos reducare. Tum, mi Alfene, si qui superfuerint

 im-

improbi æmuli, te natura grandem bellùmque hominem (qua re una tibi summitto fasces) splendide indutum, aureaque theca tabacaria, pretiosis anulis, & duplici, nobilium more, aureo automate horologio ornatum intuentes, rumpentur invidia. Hac tu ratione eorum ulcisci poteris injurias, unaque rei & famæ servies. Contra si cito patriam repetis, quamquam, ut prædixi, aut rei agrariæ, aut fabulosi ævi cathedram obtinueris; carpendi tamen tui non levem inimicis caussam præbebis. Ego ipse, Vari, qui te, me alterum existimo, & in lyceo, & in bibliothecis, apothecis, cœtibusque pro aris & focis quotidie defendo, accusatoris partes sumam. Quapropter te hortor & moneo, ut isthic resistas, animum regas, linguam contineas, majoresque natu frequentes & colas, fautoribus patronisque morem geras, collegas obsequio tibi devincias; verbo in singulis vitæ partibus eum te ostendas, quem omnes merito laudent. Nam illud tibi æmuli malevolique objiciunt, quod nisi facto confutaveris, neque isthic, neque uspiam consistes. Ajunt enim te loquacem, nugacem, pugnacem, & mordacem esse. Inique, sat scio. Addunt alii, te tibi nimium placere, ceteros omnes displicere; itaque de te magnifice, de aliis abjecte sentire. Nec desunt (piget me tibi, Viro sapientissimo, optimoque amico & sanctissimis moribus, hæc, velut commemorando, objicere) qui te latini sermonis & jurisprudentiæ plane rudem prædicent. Quibus ego cum minime credo, tum vehementer adversari non desino. Attamen (quæ hominum pravi-

tas eſt!) aliorum vitia facilius & libentius audimus & credimus, quam virtutes. Jam vero abſentia tua obtrectatores receptui canere ac reſipiſcere occœperant, bonique de te ſerpebant rumuſculi: ſcilicet te, ludicris jocoſiſque rejectis, ad bonam frugem rediſſe Ticini, & ſedulo ſerioque in litteras incumbere, & propediem cedro dignum aliquid editurum? Quod ego lætiſſime auſcultabam, fovebamque tam cauſa tua, quam mea: ſcilicet, ut tuis, meiſque inimicis altius vulnus infligerem. Sed toto, ut ajunt, cælo, Alfene, aberravi. Epiſtola enim tua, quæ me tantopere delectarat, tui lacerandi uberrimam inimicis noſtris ſuggeſſit cauſam. Illico eorum efferati animi, virus male retentum evomuerunt. Venit ad me ſervitiorum lycei emeritus, diſertus ac ſolertiſſimus Angelus Quiritallus Majo, & ita inquit: ecce tibi, ſapientiſſime Lande, ſodalis tui ſapientiam, doctrinam, eruditionem? Quid tu contra, inquam, habes dicere? Multa, & gravia, ille mihi reſpondit: an epiſtolam, quam nuper Ticini mandavit typis, & ad plures amicos ſuos miſit Neapolim, non legiſti? Legi vero, nec ſemel, nec oſcitanter; nam & ad me quoque ejus miſit exemplar; eamque elegantiæ, doctrinæ, criticeſque plenam reperi. Quod tuum de ea judicium ſit, velim explices; ſed ſine odio aſtuque: nam neſcio quid cum Alfeno friguſculi tibi ortum fuit, cum ille ad cathedram petendam primum ad lyceum appulit. Nihil, inquit, inter me & Alfenum friguſculi oriri potuit, cum nunquam illum, niſi de facie noverim, nec pluris unquam, quam locutuleium fece-

fecerim. Ejus epiſtola ab elegantia, doctrina, & logicæ criticæque artis regulis tantum abeſt, ut contra nihil illa ruſticius, ineptius, inſcitiuſque fingi poſſit. Tu vero, iratus ego, aut jocaris, aut homini ſummo & Attico ſtilo, & Ariſtoteleo acumine ſcribenti, maligne dicam appingis. Quin tu, ille reſpondit, aut amicitiæ cauſa hæc diſſimulas, aut quia in eadem es cum illo litterarum infantia, communem cauſam defendis. Minime gentium, peſſime veterator: nam & ego, & Alfenus doctorum, eruditorumque civitatis cunctis ſuffragiis jamdiu litterarum patroni, & litteratorum coryphæi declarati, confirmatique ſumus. Quæ autem contra Alfenum meum effutis, ab invidia proficiſcuntur omnia: da tu, ut ille, diuturnam litteris operam, libris impalleſce, vel potius immorere; ac poſtea, quantus ille in eruendo, excogitando, colligendo, ſcribendo vir ſit, intelliges. De me ſupervacuum eſt dicere: ſatis enim me mea & proſâ & verſa oratione ſcripta, doctis viris commendarunt. At ille irridens ait: recte quidem & modeſte te ſodalemque tutatus es. Quare jurgiis omiſſis, rem ipſam introeamus, & uter verius putet, inter nos amice diſpiciamus. Quam rem ingredi debemus, ut veritas dignoſcatur? Epiſtolam Alfeni, inquit, quam gratiarum actionis ergo ad Eminentiſſimum Cardinalem Durinum dedit, qui ſcitiſſimis carminibus eum tantopere collaudaverat. Ut vis, inquam, ſed magno tuo malo. Id poſt viderimus, inquit. Legeſis epiſtolam, & ab ipſo titulo doctrinam argues: *Angeli Cardinalis Durini ad Dominicum Alfenum Varium*

rium J. C. In Regia atque Imperatoria Ticinia Universitate Pandectarum & Juris Feudalis Antecessorem Carmina. Titulus, ut res ipsa docet, ab Alfeno excogitatus fuit. Amplissimus enim Cardinalis, qui, ut cunctis notum est, egregius cum sit poeta, forte in colloquio cum Ticinensis lycei professoribus habito, quibuscum erat noster, poetico œstro percitus, quem ipsemet ludens, petita venia, *electrizationis* effectum vocat, domum reversus, ea scripsit carmina, quæ noster non tam Cardinalis, quam suimet celebrandi gratia, typis evulgavit, adjecta epistola sua. Quid inde? inquam. Et ille, ut intelligas, carminibus exceptis, reliqua esse Variani fundi. Id satis perspicuum est, nec tuam requirebat animadversionem. Gaudeo, respondit ille: atqui tu, qui elegantiarum promus condus es, satis probas illud: *in Regia atque Imperatoria Ticinia. . . .*? Si tibi aures, ut tua postulat eruditio, exquisitæ sunt, molestissimum fuerit triplex illud similiter cadens verbum *ia, ia, ia.* Mitto quod *Imperiali*, non *Imperatoria*; & *Ticinensi*, non *Ticinia* dicendum fuerat. Deinde: *Accedit hujus ad eundem Em. Cardinalem Epistola*: nonne satius fuisset: *& hujus ad Em.* (vel latinius ad *Ampl.*) *Cardinalem Epistola*? Ab ungue leonem. Postremo, anne latini oris illud tibi videtur: *Per Josephum Bianchi; & Superiorum Permissu*? Nonne præstabat dicere: *Opera Josephi Bianchi, & Publica auctoritate, aut venia*? *Superior* latine longe aliud, quam italice sonat. Hæc puerilia putabis, & Alfeno ad sublimia & ardua spectanti condonanda. Ita prorsus,

ſus, reſpondi. Quin niſi tu majora objicias, hæc ridicula ſunt. Sint vero, ut ais, inquit improbus, leviſſima & nugaciſſima; tamen oſtendunt, Alfenum tuum ab elegantia latini ſermonis magno prorſus intervallo diſtare. Epiſtola vero typographi ad lectorem, Vario etiam tribuenda: niſi velis credere noſtros tantum typographos ſtipites eſſe; qui, etſi optime legunt, nihil tamen intelligunt. Tibi, inquam, aſſentior. Sed quorſum tua hæc ſpectat oratio? Mox audies. Lege igitur epiſtolam typographi: *Forte pervenere in manus Angeli Cardinalis Durini limatiſſimi verſus, quibus Dominicum Alfenum Varium* J. C. *& in hac noſtra Ticinia Academia Anteceſſorem laudavit.* Cujus, quæſo te, mi Lande, in manus pervenere limatiſſimi verſus, typographi, an Cardinalis? In *typographi*, quis non videt? Sic jubet ſententia. Recte tu quidem, ſed ex verbis non ita conficitur; immo & verba contrarium docent; nec ſententia repugnaret, niſi pateret ex titulo, auctorem verſuum fuiſſe Cardinalem Durinum. Breviloquentia iſthæc, Lande, vel in primis optabilis eſt, cum ſententiæ non officit, nec parit obſcuritatem; contra vitioſiſſima eſt. Ergo dicendum fuit: *Forte pervenere in manus meas Angeli Cardinalis Durini limatiſſimi verſus, quibus* (is) *Dominicum Alfenum Varium laudavit.* Perge vero. *Nec non hujuſdem ad eundem Eminentiſſimum Cardinalem epiſtola latine ſcripta.* Sententia, ni fallor, non abſolvitur verbo *laudavit*; quin cum inſequenti, perperam divulſo membro, omnino connecti debet. Quapropter male punctum appin-

gitur post *laudavit*, & ante *nec non*: satis fuerat comma; vel summum, comma cum puncto apponere. Id etiam leve tibi videbitur, argutissime Lande. Sine dubio, inquam. Atqui id genus levitatibus adeo abundat Varius, ut levissimus, immo levitatum auctor dici queat. Quam vero suave illud: *hujusdem ad eundem*! Alfeno eruditi debent novum pronomen *hicdem*, *hæcdem*, *hocdem*, & inde ceteros fluentes casus, *hujusdem*, *huicdem*, *huncdem*, *hancdem*, *hocdem*, aliosque. Hic vero, dixi, manifestum typographi mendum est. Alfenus quidem scripserat: *ejusdem*; quod male feriatus typographus sive ignorantia, sive negligentia, vertit in *hujusdem*: Elegantius mehercle & appositius, Lande doctissime: nam perpulchrum est, *ejusdem ad eundem*. Teretes aures tuæ, mi Lande, cum ingenio amice conspirant: Sed ad Blancum nostrum redeamus: *Expetebantur undique earum rerum exemplaria, quod ut omnium commoda faceremus, typis vulganda censuimus*. Quarum rerum tantopere expetebantur exemplaria, dicas mihi velim? Carminum, an epistolæ? Utriusque, inquam, cum utrumque typis mandarit Blancus. Optume. Paucula vero carmina, quæ sub stragulis (ut ipsemet fatetur) Cardinalis effudit, quæque paginam non implent; & futilis Alfeni epistola, nil nisi aut assentatorium, aut contumeliosum continens, tam longe lateque fama serpserant, ut undique expeterentur? Ni monstrum hoc est, quod esse dicemus! Sunt hæc, statim ego, typographorum mendaciola, quibus incautis lectoribus fucum faciunt. Non recte putas, Lande.

Occa-

Occasionem Alfenus deperibat, qua se Ticini laute donatum & coronatum patriæ demonstraret. Quamobrem Amplissimi Cardinalis paucula carmina, velut Romani læta Aruspicum responsa, gratissime accipiens, eleganti adjecta epistola, continuo typis tradidit, eorumque plura Neapolim ad amicos misit exemplaria, manu exaratis epistolis ænigmata explicans. Quid inde boni, Quiritalle, collecturus? Duplex bonum, sua quidem sententia: alterum, ut civibus, Cardinalis Durini judicio, quantus esset, ostenderet; alterum, ut æmulos inimicosque ulcisceretur, præsentem suam dignitatem, opinionem, opulentiamque ostentans. Etsi, inquam, te Alfeno infensum esse video; quæ tamen profers, veri mihi similia videntur. Nec ideo Alfenus accusandus est: nam si injuria patria ejectus est, non injuria irascitur patriæ. An ceteri, qui Alfeno prælati sunt, ad unum omnes ipso sunt doctiores? At vero, statim ille: non paucos Alfeno tuo multo præstantiores a lyceo exclusos fuisse scimus. Quare si prius dolori, & querelæ locum præbuit; posterius medicinæ facere debuit. Mei, tui, amice Lande, & Alfeni similium, penuria nunquam fuit. Poterat mihi, tibi, Alfeno locus esse in lyceo; sed æque vacuus fuisset, atque a nemine occupatus. Intellexisti? Nimium tu vero, Majo, de me, de te, & Alfeno humiliter sentis. Utinam vero Alfenus modestiæ studuisset! Ergo ad Blancum nostrum revertamur. Quanti facis illud: *quod ut omnium commoda faceremus, typis vulganda censuimus*? Quid in hoc tu vitii reperis? Non unum, nec leve vitii genus. Primum est ipsum *quod*. Su-

 perius

perius dixerat: *Expetebantur undique earum rerum exemplaria*; itaque ratio postulabat, ut subjiceret: *atque ut omnium commodo* (vel *omnium cupiditati*) *obsequeremur*, *ea typis mandare putavimus*. Quis enim sensus est totius complexus: *Expetebantur undique earum rerum exemplaria*; *quod ut omnium commoda faceremus*, *typis vulganda censuimus*? Quo enim refertur illud *quod*? Si ad *typis vulganda*, pudet me tam puerile erratum Alfeno J. C. magno objicere. Oportebat enim dicere: *Quæ*, *ut omnium commoda faceremus*, *typis vulganda censuimus*. Sin ad caussam, itaut *quod* eandem vim haberet, atque *quamobrem*; tum vero dicendum fuerat: *quod ut præstaremus*, *ea typis vulganda censuimus*. Lande, dum Taciti brevitatem æmulatur Alfenus, non modo obscurus fit, sed in grammaticam fœdissime peccat. Secundum, unde miram illam locutionem hausit, *omnium commoda facere*? Omnium, quorundam, unius, alterius commodo servire, studere, latinum est; omnium, aliorum, tui, mei, illius *commoda facere* neque latinum, neque italicum est. *Commodo facere*, latinissime dicitur; sed eo tantum sensu, qui apud Latinos occurrit, & pueris, qui Ciceronis epistolas explicant, notus est. Postremum, illud *censuimus* e typographi ore prolatum, ut intolerandæ arrogantiæ indicium, severam censoris animadversionem postulat: Senatus enim hoc proprium verbum fuit. Vides, mi Lande, quantus Juris consultus futurus sit Antecessor Alfenus, qui tam præclare latini sermonis vim ignorat? Quibus ego, mi Alfene, cum satis respondere non possem; tamen sublata voce

respon-

respondi: nimis hæc frivola & obsoleta grammaticorum sunt observata, quibus magni viri exsolvuntur, irretiuntur autem homunciones illi, queis non ultra grammaticam progredi datum est. Ille vero placide festiviterque: est, ut dicis; ad Blancum redeamus. *Equidem nos Insubres, more quodam majorum, magni facimus decora ingenia, nam qui sunt in nostra hac studiorum universitate, & qui fuerunt (fuere quidem quamplurimi, & sunt diversis ex regionibus acciti) semper in honore sunt habiti, & habentur.* Grates ingentes vobis Insubribus habuere, habent, atque habebunt (si eadem vobis in posterum mens fuerit) litterati universi; atque ad Vos, nativis sedibus relictis, libentissime commigrabunt. Quæ vero, acutissime Lande, sint *decora ingenia*, velim mihi exponas. Statueram enim Ticinum concedere, ut ibi aliquo in honore haberer; cum vero *decoro ingenio* opus esse, ex Blanco typographo didicerim, non ante proficiscendum esse duxi, quam *decorum*, an *indecorum ingenium* meum esset, intelligerem. Atqui intelligere id nequeo, nisi prius quid Blancus, aut ejus subornator Varius, *decori ingenii* nomine significet. Quod si autem ex re, aut ex facto, exemplove id argui potest, *decorum* Blanchianum *ingenium* apprime congruit cum ingenio Alfeni nostri. Et nisi Alfeni ingenium decoris studiosum dicas, ecquod erit aliud! Ipse tamen hoc suo tam *decoro ingenio*, ac sine rivali, fruatur. Quare in patria, etsi inglorius, permanebo. Ne plura, perge legere: *Varium vero supra ceteros diligimus & amamus; nam præter susceptum suum institutum,*

quod

quod laudabiliter gerit, *ut vetera nostra restituat monimenta a tabulariis nostris suscipienda*, *ab eo speramus*, *ac diligentiæ suæ confidimus*. Nec Tullius, nec Romanorum doctissimus Varro elegantius dilucidiusque loqui potuissent. Tantum illud mihi subtriste visum est, eo Ticinense Lyceum perductum esse, ut Varius supra ceteros diligi & amari mereatur! Ergo *Roma secunda* vale. Missa facio cetera, ut: *suum institutum laudabiliter gerere*; *vetera monimenta a tabulariis suscipienda restituere*; *diligentiæ suæ confidere*. Quæ omnia plusquam Ciceroniana quis non fateatur! Lege quæ restant. *Fuere quidem apud majores nostros multa eaque præclara & memoratu digna, quæ vel injuria hominum, vel ipsa confectrix omnium vetustas ad interitum redegit, vel in tabulariis consepulta jacent: quæ supersunt ut luci omni suæ pristinæ restituantur, in optimo viro spes omnis nostra reponitur*. Omitto alia: dumtaxat a Vario quæro, cur Ciceronis locum mutilarit, obscurumque reddiderit: inquit enim Cicero apud Lactantium, ut a Lexicis disci potest: *confectrix omnium rerum vetustas*: cur, inquam, *rerum*, quod verbum apprime huc facit, omiserit? An quod Ciceroni necessarium visum fuit, Alfeni nostri judicio supervacuum visum est? Sed optime concludit Blancus, qui ab initio ad finem, Vario duce tantopere desipuit: *Tu interim*, inquit, *æqui bonique consule & vale*. Scilicet in bonam partem quicquid ficte, falso, ridicule dixi, accipe. Ego vero, ut semel dicam, etsi ægerrime respondi; tamen inultum te esse non sivi: nunquam enim non, ut quisquiliarum sectatorem reprehen-

di,

di, increpui, consternavi. Ille contra, quis crederet! alacrior semper, ipsam epistolam tuam, cui similem in Cicerone non reperi, aggressus, tot in ea vitia notavit, quæ si tibi singillatim afferrem, volumen scribendum foret. Ex omnibus igitur, quæ in te homo acerbissimus protulit, potiora seligam: eo consilio, uti posthac diligentius scribas, effugiasque iniquorum maledicta. Ac si mihi, qui famæ tuæ studiosior sum, quam tu ipse, auscultaris, deinceps quicquid litteris mandaturus es, grammatico ante subjicias. Etenim, ut tecum aperte atque amice loquar, tua scribendi ratio obscura & perversa est, ac velut ex discoloribus frustulis laciniisque male consuta, centunculum potius doctis viris repræsentat. Ne irascaris, quin æqui bonique potius, ut amici solent, id accipias volo.

Sumpta igitur epistola tua, in ipsomet initio nescio quid offendiculi mihi ostendit: *VIII. Id. Quinctilis sacer dehinc mihi erit Princeps Eminentissime*. Quærebat malignus, quo pacto pronuntiare oporteret duas priores voces: *Octavo* ne *Idus*, an vero *Octavus Idus*? Vulgo enim priori ratione proferri solent; atque sic ego putabam: ille tamen adversabatur, dicens: *sacer* vero quo refertur? Obmutui. Quid responsarem? *Octavus* igitur *Idus* (subaudito *dies ante*, sicut *die ante* in *Octava*) inquit, legendum, & pronuntiandum est, ut constet sententia. Quis autem, sodes, dies ante, vel post Kalendas, Nonas, & Idus, hoc modo expressit? Kalendæ, Nonæ, Idus, cum quid memoratu dignum, in illarum diem incidens, designatur, nominandi, vocandi, aliove casu Latinis notantur,

ut

ut apud Horatium: *Idus tibi sunt agendæ*, & apud Ciceronem: *O Nonæ illæ Decembres*; & *Iduum Martiarum stulta est recordatio*. Contra cum dies ipse, ut præfinitum dumtaxat tempus, indicatur, ut plurimum sexto casu efferuntur, ut *Kalendis*, *Nonis*, *Idibus*. Raro, sed aliquando tamen quarto cum præpositione *ad*, vel *intra*; ut *ad Kalendas*, *ad Nonas*, *ad Idus*; & *intra Kalendas*, *Nonas*, *Idus*. Quod adeo certum & fixum est, ut dies proxime antecedens, vel consequens Kalendas, Nonas, Idus, latine dicatur *pridie*, aut *postridie Kalendas*, *Nonas*, *Idus*. Cetera, a grammaticis discenda, ad summam docent, nunquam nominandi, vocandique casu dies a Kalendis, Nonis, Idibus diversos efferri; sed, ut supra adverti: nimirum *octavo Idus Quinctilis*, vel *ad octavum Idus Quinctilis*, vel *ante diem octavum Idus Quinctilis*. I nunc, mi Lande, & Alfeno patrocinare dicenti: *Octavus Idus Quinctilis sacer dehinc mihi erit*! Quid dicerem? Cachinno me extricavi. Ille ridens perrexit. *Nudius tertius is dies fuit, quo remissa paululum dignitate auctoritateque tua advenisti, ut me cognosceres, opem etiam patrociniumque tuum ultro mihi offerres, studiisque meis, quibus vetera monimenta illustrare posse confidis, te adesse prodesse ingentem animum spopondisti tuum*. Maledicus notavit primo *dignitatem & auctoritatem* inter morbos doloresque a te referri; quorum scilicet proprium est *remittere*. *Dignitas & auctoritas* personæ sunt, quas pro re nata quis *deponit* & *resumit*; non *remittit*, nec *admittit*. Secundo latinum non esse *opem & patrocinium offerre*, sed italicum. *Opem ferre*, &, nisi fallor, etiam

etiam *afferre*, latinum eſt; *patrocinium* vero neque *offerre*, neque *afferre* Latinos dixiſſe. Latiniſſime autem dici *patrocinium ſuſcipere & arripere*. Tertio duobus verbis *adeſſe*, & *prodeſſe*, ne quid deforet, adjiciendum fuiſſe tertium *præeſſe*. Quarto apud Latinos *ſpondere animum* pro *polliceri*, minime inveniri; *deſpondere animum*, ideſt *animis cadere*, ſive *conſternari*, latinum eſſe. Inſuper mirum ſibi videri, te Juris Conſultum eximium, vim verbi *ſpondeo*, cujus in jure perfrequens uſus eſt, neſcire. Ac mihi reſpondere conanti, facultatem non dedit, celeriter perſequens lectionem: *Fuere etiam nobiſcum ſelectiſſimi collegæ mei Gregorius Fontana Antoniuſque Lambertenghius aliique plurimi viri docti ac diſerti*. Nihil hic etiam probavit, præſertim vero illud *nobiſcum*, quaſi ſummus Romanus Pontifex loqueretur; & *ſelectiſſimi* pro *lectiſſimi*, quod odioſiſſimum eſt, ſi quid *ſelectiſſimi* valeat, aſſequeris. *Incidit ſermo de veteribus populis græcis latinis punicis earumque gentium poetis oratoribus philoſophis, apud quos tum res geſtæ ſuorum relatæ ſunt, tum ceterorum, cum quibus ipſis negotium fuit, populorum, iiſque familiare leges mores ritus ceremonias affectuſque animarum ſuis non tam explicare verbis quam propria conſuetudine*. Hic vero tantopere in te homo debacchari viſus eſt, ut impudentiſſime dixerit: nihil ſe ineptius, futilius, & latinæ linguæ, & grammaticæ, & orthographiæ, & rationi (quæ præ ceteris ſpectari debet) adverſius legiſſe. Primo enim ſingulas complexiones (periodos nimirum) adeo diverſas ac diſſidentes eſſe, ut orationem nullam conficiant.

tas eſt!) aliorum vitia facilius & libentius audimus & credimus, quam virtutes. Jam vero abſentia tua obtrectatores receptui canere ac reſipiſcere occœperant, bonique de te ſerpebant rumuſculi: ſcilicet te, ludicris jocoſiſque rejectis, ad bonam frugem rediſſe Ticini, & ſedulo ſerioque in litteras incumbere, & propediem cedro dignum aliquid editurum? Quod ego lætiſſime auſcultabam, fovebamque tam cauſa tua, quam mea: ſcilicet, ut tuis, meiſque inimicis altius vulnus infligerem. Sed toto, ut ajunt, cælo, Alfene, aberravi. Epiſtola enim tua, quæ me tantopere delectarat, tui lacerandi uberrimam inimicis noſtris ſuggeſſit cauſam. Illico eorum efferati animi, virus male retentum evomuerunt. Venit ad me ſervitiorum lycei emeritus, diſertus ac ſolertiſſimus Angelus Quiritallus Majo, & ita inquit: ecce tibi, ſapientiſſime Lande, ſodalis tui ſapientiam, doctrinam, eruditionem? Quid tu contra, inquam, habes dicere? Multa, & gravia, ille mihi reſpondit: an epiſtolam, quam nuper Ticini mandavit typis, & ad plures amicos ſuos miſit Neapolim, non legiſti? Legi vero, nec ſemel, nec oſcitanter; nam & ad me quoque ejus miſit exemplar; eamque elegantiæ, doctrinæ, criticeſque plenam reperi. Quod tuum de ea judicium ſit, velim explices; ſed ſine odio aſtuque: nam neſcio quid cum Alfeno friguſculi tibi ortum fuit, cum ille ad cathedram petendam primum ad lyceum appulit. Nihil, inquit, inter me & Alfenum friguſculi oriri potuit, cum nunquam illum, niſi de facie noverim, nec pluris unquam, quam locutuleium fece-

fecerim. Ejus epiſtola ab elegantia, doctrina, & logicæ criticæque artis regulis tantum abeſt, ut contra nihil illa ruſticius, ineptius, inſcitiuſque fingi poſſit. Tu vero, iratus ego, aut jocaris, aut homini ſummo & Attico ſtilo, & Ariſtoteleo acumine ſcribenti, maligne dicam appingis. Quin tu, ille reſpondit, aut amicitiæ cauſa hæc diſſimulas, aut quia in eadem es cum illo litterarum infantia, communem cauſam defendis. Minime gentium, peſſime veterator: nam & ego, & Alfenus doctorum, eruditorumque civitatis cunctis ſuffragiis jamdiu litterarum patroni, & litteratorum coryphæi declarati, confirmatique ſumus. Quæ autem contra Alfenum meum effutis, ab invidia proficiſcuntur omnia: da tu, ut ille, diuturnam litteris operam, libris impalleſce, vel potius immorere; ac poſtea, quantus ille in eruendo, excogitando, colligendo, ſcribendo vir ſit, intelliges. De me ſupervacuum eſt dicere: ſatis enim me mea & prorſa & verſa oratione ſcripta, doctis viris commendarunt. At ille irridens ait: recte quidem & modeſte te ſodalemque tutatus es. Quare jurgiis omiſſis, rem ipſam introeamus, & uter verius putet, inter nos amice diſpiciamus. Quam rem ingredi debemus, ut veritas dignoſcatur? Epiſtolam Alfeni, inquit, quam gratiarum actionis ergo ad Eminentiſſimum Cardinalem Durinum dedit, qui ſcitiſſimis carminibus eum tantopere collaudaverat. Ut vis, inquam, ſed magno tuo malo. Id poſt viderimus, inquit. Legeſis epiſtolam, & ab ipſo titulo doctrinam argues: *Angeli Cardinalis Durini ad Dominicum Alſenum Varium*

rium J. C. *In Regia atque Imperatoria Ticinia Universitate Pandectarum & Juris Feudalis Antecessorem Carmina*. Titulus, ut res ipsa docet, ab Alfeno excogitatus fuit. Amplissimus enim Cardinalis, qui, ut cunctis notum est, egregius cum sit poeta, forte in colloquio cum Ticinensis lycei professoribus habito, quibuscum erat noster, poetico œstro percitus, quem ipsemet ludens, petita venia, *electrizationis* effectum vocat, domum reversus, ea scripsit carmina, quæ noster non tam Cardinalis, quam suimet celebrandi gratia, typis evulgavit, adjecta epistola sua. Quid inde? inquam. Et ille, ut intelligas, carminibus exceptis, reliqua esse Variani fundi. Id satis perspicuum est, nec tuam requirebat animadversionem. Gaudeo, respondit ille: atqui tu, qui elegantiarum promus condus es, satis probas illud: *in Regia atque Imperatoria Ticinia*....? Si tibi aures, ut tua postulat eruditio, exquisitæ sunt, molestissimum fuerit triplex illud similiter cadens verbum *ia*, *ia*, *ia*. Mitto quod *Imperiali*, non *Imperatoria*; & *Ticinensi*, non *Ticinia* dicendum fuerat. Deinde: *Accedit hujus ad eundem Em. Cardinalem Epistola*: nonne satius fuisset: *& hujus ad Em.* (vel latinius ad *Ampl.*) *Cardinalem Epistola*? Ab ungue leonem. Postremo, anne latinioris illud tibi videtur: *Per Josephum Bianchi; & Superiorum Permissu*? Nonne præstabat dicere: *Opera Josephi Blanchi*, *& Publica auctoritate*, *aut venia*? *Superior* latine longe aliud, quam italice sonat. Hæc puerilia putabis, & Alfeno ad sublimia & ardua spectanti condonanda. Ita prorsus,

ſus, reſpondi. Quin niſi tu majora objicias, hæc ridicula ſunt. Sint vero, ut ais, inquit improbus, leviſſima & nugaciſſima; tamen oſtendunt, Alfenum tuum ab elegantia latini ſermonis magno prorſus intervallo diſtare. Epiſtola vero typographi ad lectorem, Vario etiam tribuenda: niſi velis credere noſtros tantum typographos ſtipites eſſe; qui, etſi optime legunt, nihil tamen intelligunt. Tibi, inquam, aſſentior. Sed quorſum tua hæc ſpectat oratio? Mox audies. Lege igitur epiſtolam typographi: *Forte pervenere in manus Angeli Cardinalis Durini limatiſſimi verſus, quibus Dominicum Alfenum Varium* J. C. *& in hac noſtra Ticinia Academia Anteceſſorem laudavit.* Cujus, quæſo te, mi Lande, in manus pervenere limatiſſimi verſus, typographi, an Cardinalis? In *typographi*, quis non videt? Sic jubet ſententia. Recte tu quidem, ſed ex verbis non ita conficitur; immo & verba contrarium docent; nec ſententia repugnaret, niſi pateret ex titulo, auctorem verſuum fuiſſe Cardinalem Durinum. Breviloquentia iſthæc, Lande, vel in primis optabilis eſt, cum ſententiæ non officit, nec parit obſcuritatem; contra vitioſiſſima eſt. Ergo dicendum fuit: *Forte pervenere in manus meas Angeli Cardinalis Durini limatiſſimi verſus, quibus* (is) *Dominicum Alfenum Varium laudavit.* Perge vero. *Nec non hujuſdem ad eundem Eminentiſſimum Cardinalem epiſtola latine ſcripta.* Sententia, ni fallor, non abſolvitur verbo *laudavit*; quin cum inſequenti, perperam divulſo membro, omnino connecti debet. Quapropter male punctum appingitur

gitur

gitur post *laudavit*, & ante *nec non*: satis fuerat comma; vel summum, comma cum puncto apponere. Id etiam leve tibi videbitur, argutissime Lande. Sine dubio, inquam. Atqui id genus levitatibus adeo abundat Varius, ut levissimus, immo levitatum auctor dici queat. Quam vero suave illud: *hujusdem ad eundem*! Alfeno eruditi debent novum pronomen *hicdem*, *hæcdem*, *hocdem*, & inde ceteros fluentes casus, *hujusdem*, *huicdem*, *huncdem*, *hancdem*, *hocdem*, aliosque. Hic vero, dixi, manifestum typographi mendum est. Alfenus quidem scripserat: *ejusdem*; quod male feriatus typographus sive ignorantia, sive negligentia, vertit in *hujusdem*. Elegantius mehercle & appositius, Lande doctissime: nam perpulchrum est, *ejusdem ad eundem*. Teretes aures tuæ, mi Lande, cum ingenio amice conspirant. Sed ad Blancum nostrum redeamus: *Expetebantur undique earum rerum exemplaria, quod ut omnium commoda faceremus, typis vulganda censuimus*. Quarum rerum tantopere expetebantur exemplaria, dicas mihi velim? Carminum, an epistolæ? Utriusque, inquam, cum utrumque typis mandarit Blancus. Optume. Paucula vero carmina, quæ sub stragulis (ut ipsemet fatetur) Cardinalis effudit, quæque paginam non implent; & futilis Alfeni epistola, nil nisi aut assentatorium, aut contumeliosum continens, tam longe lateque fama serpserant, ut undique expeterentur? Ni monstrum hoc est, quod esse dicemus! Sunt hæc, statim ego, typographorum mendaciola, quibus incautis lectoribus fucum faciunt. Non recte putas, Lande.

Occa-

Occasionem Alfenus deperibat, qua se Ticini laute donatum & coronatum patriæ demonstraret. Quamobrem Amplissimi Cardinalis paucula carmina, velut Romani læta Aruspicum responsa, gratissime accipiens, eleganti adjecta epistola, continuo typis tradidit, eorumque plura Neapolim ad amicos misit exemplaria, manu exaratis epistolis ænigmata explicans. Quid inde boni, Quiritalle, collecturus? Duplex bonum, sua quidem sententia: alterum, ut civibus, Cardinalis Durini judicio, quantus esset, ostenderet; alterum, ut æmulos inimicosque ulcisceretur, præsentem suam dignitatem, opinionem, opulentiamque ostentans. Etsi, inquam, te Alfeno infensum esse video; quæ tamen profers, veri mihi similia videntur. Nec ideo Alfenus accusandus est: nam si injuria patria ejectus est, non injuria irascitur patriæ. An ceteri, qui Alfeno prælati sunt, ad unum omnes ipso sunt doctiores? At vero, statim ille: non paucos Alfeno tuo multo præstantiores a lyceo exclusos fuisse scimus. Quare si prius dolori, & querelæ locum præbuit; posterius medicinæ facere debuit. Mei, tui, amice Lande, & Alfeni similium, penuria nunquam fuit. Poterat mihi, tibi, Alfeno locus esse in lyceo; sed æque vacuus fuisset, atque a nemine occupatus. Intellexisti? Nimium tu vero, Majo, de me, de te, & Alfeno humiliter sentis. Utinam vero Alfenus modestiæ studuisset! Ergo ad Blancum nostrum revertamur. Quanti facis illud: *quod ut omnium commoda faceremus, typis vulganda censuimus*? Quid in hoc tu vitii reperis? Non unum, nec leve vitii genus. Primum est ipsum *quod*. Superius

 perius

perius dixerat: *Expetebantur undique earum rerum exemplaria*; itaque ratio postulabat, ut subjiceret: *atque ut omnium commodo* (vel *omnium cupiditati*) *obsequeremur*, *ea typis mandare putavimus*. Quis enim sensus est totius complexus: *Expetebantur undique earum rerum exemplaria*, *quod ut omnium commoda faceremus*, *typis vulganda censuimus*? Quo enim refertur illud *quod*? Si ad *typis vulganda*, pudet me tam puerile erratum Alfeno J. C. magno objicere. Oportebat enim dicere: *Quæ*, *ut omnium commoda faceremus*, *typis vulganda censuimus*. Sin ad causam, itaut *quod* eandem vim haberet, atque *quamobrem*; tum vero dicendum fuerat: *quod ut præstaremus*, *ea typis vulganda censuimus*. Lande, dum Taciti brevitatem æmulatur Alfenus, non modo obscurus fit, sed in grammaticam fœdissime peccat. Secundum, unde miram illam locutionem hausit, *omnium commoda facere*? Omnium, quorundam, unius, alterius commodo servire, studere, latinum est; omnium, aliorum, tui, mei, illius *commoda facere* neque latinum, neque italicum est. *Commodo facere*, latinissime dicitur; sed eo tantum sensu, qui apud Latinos occurrit, & pueris, qui Ciceronis epistolas explicant, notus est. Postremum, illud *censuimus* e typographi ore prolatum, ut intolerandæ arrogantiæ indicium, severam censoris animadversionem postulat: Senatus enim hoc proprium verbum fuit. Vides, mi Lande, quantus Juris consultus futurus sit Antecessor Alfenus, qui tam præclare latini sermonis vim ignorat? Quibus ego, mi Alfene, cum satis respondere non possem; tamen sublata voce respon-

respondi: nimis hæc frivola & obsoleta grammaticorum sunt observata, quibus magni viri exsolvuntur, irretiuntur autem homunciones illi, queis non ultra grammaticam progredi datum est. Ille vero placide festiviterque: est, ut dicis; ad Blancum redeamus. *Equidem nos Insubres, more quodam majorum, magni facimus decora ingenia, nam qui sunt in nostra hac studiorum universitate, & qui fuerunt (fuere quidem quamplurimi, & sunt diversis ex regionibus acciti) semper in honore sunt habiti, & habentur.* Grates ingentes vobis Insubribus habuere, habent, atque habebunt (si eadem vobis in posterum mens fuerit) litterati universi; atque ad Vos, nativis sedibus relictis, libentissime commigrabunt. Quæ vero, acutissime Lande, sint *decora ingenia*, velim mihi exponas. Statueram enim Ticinum concedere, ut ibi aliquo in honore haberer; cum vero *decoro ingenio* opus esse, ex Blanco typographo didicerim, non ante proficiscendum esse duxi, quam *decorum*, an *indecorum ingenium* meum esset, intelligerem. Atqui intelligere id nequeo, nisi prius quid Blancus, aut ejus subornator Varius, *decori ingenii* nomine significet. Quod si autem ex re, aut ex facto, exemplove id argui potest, *decorum* Blanchianum *ingenium* apprime congruit cum ingenio Alfeni nostri. Et nisi Alfeni ingenium decoris studiosum dicas, ecquod erit aliud! Ipse tamen hoc suo tam *decoro ingenio*, ac sine rivali, fruatur. Quare in patria, etsi inglorius, permanebo. Ne plura, perge legere: *Varium vero supra ceteros diligimus & amamus; nam præter susceptum suum institutum,*

quod

quod laudabiliter gerit, *ut vetera nostra restituat monimenta a tabulariis nostris suscipienda*, *ab eo speramus*, *ac diligentiæ suæ confidimus*. Nec Tullius, nec Romanorum doctissimus Varro elegantius dilucidiusque loqui potuissent. Tantum illud mihi subtriste visum est, eo Ticinense Lyceum perductum esse, ut Varius supra ceteros diligi & amari mereatur! Ergo *Roma secunda* vale. Missa facio cetera, ut: *suum institutum laudabiliter gerere*; *vetera monimenta a tabulariis suscipienda restituere*; *diligentiæ suæ confidere*. Quæ omnia plusquam Ciceroniana quis non fateatur! Lege quæ restant. *Fuere quidem apud majores nostros multa eaque præclara & memoratu digna*, *quæ vel injuria hominum*, *vel ipsa confectrix omnium vetustas ad interitum redegit*, *vel in tabulariis consepulta jacent*: *quæ supersunt ut luci omni suæ pristinæ restituantur*, *in optimo viro spes omnis nostra reponitur*. Omitto alia: dumtaxat a Vario quæro, cur Ciceronis locum mutilarit, obscurumque reddiderit: inquit enim Cicero apud Lactantium, ut a Lexicis disci potest: *confectrix omnium rerum vetustas*: cur, inquam, *rerum*, quod verbum apprime huc facit, omiserit? An quod Ciceroni necessarium visum fuit, Alfeni nostri judicio supervacuum visum est? Sed optime concludit Blancus, qui ab initio ad finem, Vario duce tantopere desipuit: *Tu interim*, inquit, *æqui bonique consule & vale*. Scilicet in bonam partem quicquid ficte, false, ridicule dixi, accipe. Ego vero, ut semel dicam, etsi ægerrime respondi; tamen inultum te esse non sivi: nunquam enim non, ut quisquiliarum sectatorem reprehendi,

di,

di, increpui, consternavi. Ille contra, quis crederet! alacrior semper, ipsam epistolam tuam, cui similem in Cicerone non reperi, aggressus, tot in ea vitia notavit, quæ si tibi singillatim afferrem, volumen scribendum foret. Ex omnibus igitur, quæ in te homo acerbissimus protulit, potiora seligam: eo consilio, uti posthac diligentius scribas, effugiasque iniquorum maledicta. Ac si mihi, qui famæ tuæ studiosior sum, quam tu ipse, auscultaris, deinceps quicquid litteris mandaturus es, grammatico ante subjicias. Etenim, ut tecum aperte atque amice loquar, tua scribendi ratio obscura & perversa est, ac velut ex discoloribus frustulis laciniisque male consuta, centunculum potius doctis viris repræsentat. Ne irascaris, quin æqui bonique potius, ut amici solent, id accipias volo.

I Sumpta igitur epistola tua, in ipsomet initio nescio quid offendiculi mihi ostendit: *VIII. Id. Quinctilis sacer dehinc mihi erit Princeps Eminentissime*. Quærebat malignus, quo pacto pronuntiare oporteret duas priores voces: *Octavo* ne *Idus*, an vero *Octavus Idus*? Vulgo enim priori ratione proferri solent; atque sic ego putabam: ille tamen adversabatur, dicens: *sacer* vero quo refertur? Obmutui. Quid responsarem? *Octavus* igitur *Idus* (subaudito *dies ante*, sicut *die ante* in *Octavo*) inquit, legendum, & pronuntiandum est, ut constet sententia. Quis autem, sodes, dies ante, vel post Kalendas, Nonas, & Idus, hoc modo expressit? Kalendæ, Nonæ, Idus, cum quid memoratu dignum, in illarum diem incidens, designatur, nominandi, vocandi, aliove casu Latinis notantur,

ut apud Horatium: *Idus tibi sunt agendæ*, & apud Ciceronem: *O Nonæ illæ Decembres*; & *Iduum Martiarum stulta est recordatio*. Contra cum dies ipse, ut præfinitum dumtaxat tempus, indicatur, ut plurimum sexto casu efferuntur, ut *Kalendis*, *Nonis*, *Idibus*. Raro, sed aliquando tamen quarto cum præpositione *ad*, vel *intra*; ut *ad Kalendas*, *ad Nonas*, *ad Idus*; & *intra Kalendas*, *Nonas*, *Idus*. Quod adeo certum & fixum est, ut dies proxime antecedens, vel consequens Kalendas, Nonas, Idus, latine dicatur *pridie*, aut *postridie Kalendas*, *Nonas*, *Idus*. Cetera, a grammaticis discenda, ad summam docent, nunquam nominandi, vocandique casu dies a Kalendis, Nonis, Idibus diversos efferri; sed, ut supra adverti: nimirum *octavo Idus Quinctilis*, vel *ad octavum Idus Quinctilis*, vel *ante diem octavum Idus Quinctilis*. I nunc, mi Lande, & Alfeno patrocinare dicenti: *Octavus Idus Quinctilis sacer dehinc mihi erit*! Quid dicerem? Cachinno me extricavi. Ille ridens perrexit. *Nudius tertius is dies fuit, quo remissa paululum dignitate auctoritateque tua advenisti, ut me cognosceres, opem etiam patrociniumque tuum ultro mihi offerres, studiisque meis, quibus vetera monimenta illustrare posse confidis, te adesse prodesse ingentem animum spopondisti tuum*. Maledicus notavit primo *dignitatem & auctoritatem* inter morbos doloresque a te referri; quorum scilicet proprium est *remittere*. *Dignitas & auctoritas* personæ sunt, quas pro re nata quis *deponit* & *resumit*; non *remittit*, nec *admittit*. Secundo latinum non esse *opem & patrocinium offerre*, sed italicum. *Opem ferre*, &, nisi fallor, etiam

etiam *afferre*, latinum est; *patrocinium* vero neque *offerre*, neque *afferre* Latinos dixisse. Latinissime autem dici *patrocinium suscipere & arripere*. Tertio duobus verbis *adesse*, *& prodesse*, ne quid deforet, adjiciendum fuisse tertium *præesse*. Quarto apud Latinos *spondere animum* pro *polliceri*, minime inveniri; *despondere animum*, idest *animis cadere*, sive *consternari*, latinum esse. Insuper mirum sibi videri, te Juris Consultum eximium, vim verbi *spondeo*, cujus in jure perfrequens usus est, nescire. Ac mihi respondere conanti, facultatem non dedit, celeriter persequens lectionem: *Fuere etiam nobiscum selectissimi collegæ mei Gregorius Fontana Antoniusque Lambertenghius aliique plurimi viri docti ac diserti*. Nihil hic etiam probavit, præsertim vero illud *nobiscum*, quasi summus Romanus Pontifex loqueretur; & *selectissimi* pro *lectissimi*, quod odiosissimum est, si quid *selectissimi* valeat, assequeris. *Incidit sermo de veteribus populis græcis latinis punicis earumque gentium poetis oratoribus philosophis, apud quos tum res gestæ suorum relatæ sunt, tum ceterorum, cum quibus ipsis negotium fuit, populorum, iisque familiare leges mores ritus ceremonias affectusque animarum suis non tam explicare verbis quam propria consuetudine*. Hic vero tantopere in te homo debacchari visus est, ut impudentissime dixerit: nihil se ineptius, futilius, & latinæ linguæ, & grammaticæ, & orthographiæ, & rationi (quæ præ ceteris spectari debet) adversius legisse. Primo enim singulas complexiones (periodos nimirum) adeo diversas ac diffidentes esse, ut orationem nullam conficiant.

 Inci-

Incidit ſermo, ut ille ajebat, ſaltem particulam *autem* poſtulabat. Tum, *veteribus populis* abundare: ſatis enim erat dicere: *Incidit autem ſermo de Græcis*, *Latinis*, *Pœnis* (& ne multus ſim omnia referendo) *eorumque poetis*, *oratoribus*, *hiſtoricis* (quos ultimos turpiter omiſſos clamabat) *philoſophis*, *qui cum ſuarum quique gentium res geſtas*, *tum aliarum*, *quas ſive belli*, *ſive commercii*, *ſive peregrinandi cauſa cognoverant*, *inſtituta*, *religiones*, *leges*, *mores deſcripſere*. Tria præter cetera admirabatur. Primum: *cum quibus ipſis negotium fuit*. Secundum: *affectuſque animarum*; quod ſecundum Chriſtianis hominibus memoriter ediſcendum ſuadebat, ut *defunctorum animas*, quæ expiatorii ignis vim perferunt, & auxilium opemque implorant, ſibi facilius in mentem revocarent. Tertium: *ſuis non tam explicare verbis quam propria conſuetudine*. Quo quidem poſtremo periodi inciſo nihil lepidius eſſe dixit: Qui enim, inquit, pœtæ, oratores, hiſtorici, philoſophi conſuetudine magis, quam verbis, hominum mores poſteris tradere poſſunt? O miram Alfeni ſapientiam exclamavit! Quis unquam veterum dixit plurali numero *populos Græcos*, *Latinos*? Quis autem voce *punicus* pro Pœno, ſeu Carthaginienſi uſus fuit? *Fides punica*, *lingua punica*, *bellum punicum*, *malum punicum*, *color punicus*, ſive *puniceus*, & *phœniceus* (ad quem *punicus* proxime accedit) frequenter inveniuntur; *populus*, *homo*, *aſinus punicus*, Alfene, a te primum latina civitate donantur. Unus Valerius Maximus, ſi certa lectio eſt, dixit *pœnicas feminas*. Contra Virgilius, voce *pœnus*, ut *adjectivo* uſus eſt, cum

in

in Eclogis dixit: *pœnos ingemuisse leones*; & Plautus comœdiam, in qua Hannonem quendam Carthaginiensem patrio sermone loquentem induxit, *Pœnulum* a *Pœno* (ut Cicero aliique *Græculum* a *Græco* dixere) non *punicum*, aut *pœnicum*, aut *puniculum*, aut *pœniculum*, Lande, inscripsit. Mitto cetera. Fateor equidem, mi Alfene, tot & tuis erratis, & ejus observationibus, obrutum me fuisse. Ille vicissim majoribus semper animis in legendo perstitit: *Ab his prolapsa oratio est ad Herulos Gothos Longobardos Francosque, qui olim Italiæ imperitarunt, sedemque imperii in illustri hac Papiæ urbe posuerunt, diutiusque retinuerunt, ita ut magno nobis ornamento hæc civitas sit amplissimæque auctoritatis.* Quæ hic audacissimus servulus dixerit, nec omnia referre, nec vero meminisse possum. Pauca summatim, quæ memoriæ inhæserunt, subjiciam. *Ab his prolapsa oratio est*... malebat ille: *Ab his delapsa est oratio*, vel *delapsus sermo est*: nam *prolabitur oratio*, cum in eodem argumento longius evagatur, quam provisum fuerat; *delabitur* vero, cum ab una re in aliam digreditur. Difficilior res est, optime Lande, quam opinatur Alfenus, latine scribere! Demirabatur quoque, Vario in medii ævi historia tantopere versato memoria excidisse, *Langobardos* ab eruditis scribi oportere evictum fuisse. De *Francis* quærebat, quos ille intelligeret, e Germania ne profectos, an e Gallia, quæ postmodum a *Franconibus* occupata, *Francia* appellari cœpit? *Sedem ponere*, ei non placebat; *statuere*, *figere*, *collocare sedem*, rectum ei videbatur. *Diutiusque*

retinuerunt: hic effusissime risit: contendebat enim, *diuque tenuere* dicendum fuisse. *Itaut magno nobis ornamento hæc civitas sit amplissimæque auctoritatis.* Si, malignus objiciebat, *magno est ornamento hæc civitas*; pariter *amplissimæ est auctoritati*. Vides, ait, quam ab omni latinitatis sensu abhorreat Alfenus? At vero, respondi, *auctoritatis* pro *auctoritati*, manifestum typographi mendum est. Sit hoc typographi mendum, ut vis; cetera vero & majora, quæ notavi, & quæ notanda restant, typographi non sunt. *Ego*, pergens ille, *pro viribus egi, ut quæ mihi fuere præcognita assidua opera perpetuaque lectione, aperirem, & coram recitarem*. Non dubito, dixit malevolus: nam quæcumque sive ad rem, sive ab re tibi in memoriam (quæ una tibi mentis facultas paullo sanior est) venerunt, ad nauseam usque effudisti, eloquentia illa tua agresti, mordaci & stomachosa. Gloriationem autem tuam quis concoxerit? *quæ mihi fuere præcognita assidua opera perpetuaque lectione, aperirem, & coram recitarem*. Sane *præcognita* esse debebant, nisi tum comminisci volueris, quæ non didiceras. At latinius modestiusque dixisses: *ego vero, quæ mihi tum succurrerunt, pro modulo meo exprompsi*. Illud *præcognita*, quod ridiculum est; & illud *assidua opera perpetuaque lectione*, quod Thrasonianum, omitti debuit. Quis autem, Alfene, hoc modo non scriberet? Mediusfidius, Magistratuum apparitores latinitatem tuam facile superant. *Ingens fuit omni in re atque in hoc potissimum domestico monimento voluptas tua, gaudio totus perfusus es, elegantissimos scripsisti versus*

sus

ſus quamvis citiſſime dictatos priſca puritate venuſtateque. Quod de verſibus dicis, verum eſt: ceteroquin, vel te ſilente, Ampliſſ. Cardinalis muſa tota Italia celebratur. Unum dubito, num te ſerio laudarit. Nam idem eximius poeta demortuum amiciſſimi viri catellum flebili carmine laudavit. Non dubito tamen, quin epiſtolam tuam legens, ob inelegantem ſermonem, & impudentem licentiam, in ſinu palinodiam cecinerit. Inſuper quærebat maleſanus, quodnam hoc eſſet *domeſticum monumentum*, quod tu, mi Alfene, tantopere extollebas? Nam ſi, quod Ticinum Langobardorum fuiſſet ſedes, adeo id tritum eſſe, ut nullam Cardinali eruditiſſimo voluptatem creare poſſet. Sin aliud a te detectum; quodnam hoc foret, a te perleviter indicari. Tum venuſtatem ſcribendi tuam mirifice commendabat, velut: *ingens fuit omni in re atque in hoc potiſſimum* . . . cur non *ingens fuit cum in ceteris rebus omnibus*, *tum in hac maxime*; ut ille dicendum eſſe exiſtimabat . . . *gaudio totus perfuſus es*, *elegantiſſimos ſcripſiſti verſus*: malebat ille: *itaque gaudio perfuſus*, *elegantiſſimos ex tempore ſcripſiſti verſus*, *aurea ætate dignos*. Etenim qui elegantia ſine veterum poetarum auguſtei ſæculi imitatione ſibi conſtare poteſt? Addebat, ex tuis verbis non bene colligi, num Ampl. Cardinalis ex tempore, ut nonnulli ſolent, an meditate verſus ſcripſerit. Multum enim intereſſe affirmabat inter verſus, quos uno ſtans pede poeta ſcribit, & eos, quos cogitate. *Veni ego ad te in ædibus Gambaranis* (*quæ gens hujus urbis vetuſta eſt & nobilis*, *tibique cognatione*

ne conjuncta) alia te scribentem carmina comperi de Balestrerio lepidissimo Mediolanensi poeta nuper extincto. Audi, quæ maledicus dixit: primo illud *ego*, ut superabundans & orationis robur frangens, improbavit; secundo: *Veni ... in ædibus Gambaranis*, tibi tanto viro, qui *assidua opera perpetuaque lectione* optimos auctores in numerato habes, turpissimam notam inurere questus est. Siquidem tam ei absurdum videbatur, si quis diceret: *veni in hac urbe*, quam si: *in hanc urbem maneo*. Hic ego tuas partes viriliter suscepi: delirare hominem dixi: siquidem *Veni... ad te in ædibus Gambaranis*, dedita opera te dixisse, nempe *veni ad te*, supple, *qui in ædibus Gambaranis tum agebas*. Sed malignus respondit: non ita veteres locutos esse; tum, cur me vis subaudire, *qui in ædibus agebas*, vel *commorabare*, cum rectius & brevius dicere potueris: *veni ... ad te in ædes Gambaranas*? Supra, respondi, te merum grammaticum esse dixi; nunc vero ajo, levissimum esse grammatistam. Etenim vel apud optimos auctores legitur in verbis cum motu ad locum præpositio *in* cum sexto casu, & versa vice in verbis cum statu in loco cum quarto. Exemplis abstineo, quoniam sunt innumera; nec modo apud veteres grammaticos, sed in obvio quoque lexico reperienda. Atque ut jam modestior fias, scito, antiquiores scriptores, pro *afferre* dixisse *offerre*. Unde recte in loco a te paullo supra male notato, dixit Alfenus, *opem patrociniumque offerre*. Hæc vero, Lande, quæ nimis confidenter mihi exprobas, vera, sed rarissima sunt, quæ ut optimus quisque devitat, ita condonan-

donantur egregiis ſcriptoribus, minime vero barbaris & inficetis, quos inter nomen ſuum profitetur Alfenus. Qui ſi ſciſſet, vetuſtiſſimos Latinos pro *afferre* dixiſſe *offerre*, injuria nunc a me carperetur; ſed incredibilis ejus latinitatis jejunitas, uti ex tota paret epiſtola, hoc ei me indulgere non ſinit. At eſto, non ſit error, *veni ad te in ædibus...* pro *in ædes*; cum Cicero, ut ait Voſſius, dixerit, *veni in Senatu*; tamen ſemel id dixit Cicero, & fortaſſe aurium gratia: dulcius enim aures movet, *veni in Senatu*, quam *in Senatum*? Latini autem, ut optime Agellius obſervat, auribus ſerviebant vel contra grammaticas leges; ob eandemque cauſam Cicero non dixiſſet *in Senatu veni*, ſed *in Senatum veni*, ut millies dixit. Quapropter hæc rara & inſolentia, ut *tulerunt*, *ſteterunt*, *miſcuerunt* in Virgilio, & *profuerunt* in Tibullo, *abierunt* in Phædro, *defuerunt* in Martiali, ſecunda ſyllaba correpta, cordatus hodie nemo, niſi ad incitas redactus, uſurpat. Proinde quod inſolens in accurato ſcriptore elegantia potius, quam error dicitur; id in rudi barbaroque error eſt maximus. Tertio blatero addidit: ſive *Gambara* ſive *Gambarana* gens illa ſit, quæ illarum ædium dominium habet, non recte dicuntur *ædes Gambareæ*, aut *Gambaranæ*: numquam enim invenies ædes Cæſarianas, Pompejanas, Tullianas, pro ædes Cæſaris, Pompeji, Tullii. *Dii immortales quantum eſt ingenium tuum! quanta ejus acies! quanta vis animi!* Satis fuerat dicere: *quantum eſt ingenium tuum?* cetera, gerræ germanæ ſunt. Quod ſi vero, grati animi ergo,

go, uberius illum laudare instituerat, dicere, ac vere, potuisset: *quantum est ingenium tuum, quanta doctrina, eruditio, facundia, & (quod rei caput est) quanta denique sapientia tua!* Nam ingenio excellere quis potest, & doctrinæ inops esse. Vel ingenio doctrinaque affluere, & eruditione carere. Vel eruditione abundare, & ingenii exsors esse. Vel (quod tamen rarissimum est) ingenio, doctrina, eruditione, facundiaque insignis esse. Quæ qui consequitur omnia, is quidem vere admirabilis est. Hoc pacto, Alfenus tuus, aliquanto sapientius & nobilius Amplifs. Cardinalem collaudasset. Revera enim illa: *quantum est ingenium tuum, quanta ejus acies, quanta vis animi*, non modo auribus injucunda sunt, sed diversis tantum verbis idem prorsus significant. Alfenus autem, Lande, etsi nec ingenio, nec doctrina, nec eruditione, nec facundia præstat; sapientia tamen, sive judicio plane destituitur.

Scribendi recte sapere est & principium & fons. Non enim satis esse, dixit, in latina epistola errores, solœcos, barbarismos, ceteraque vitia effugere, nisi veterum quoque loquendi morem diligenter accurateque serves. In antiquioribus enim linguis non ratio, sed usus atque auctoritas sequenda est. Quarto importunissimus litterator reprehendit: *quæ gens hujus urbis vetusta est & nobilis tibique cognatione conjuncta*, nescio quid hic obscurum & improprium advertens. Proinde, hoc tibi modo scribendum fuisse, superbus dictabat: *Veni ad te in ædes Gambaranæ gentis, cum primis antiquæ, & nobilis, tibique cognatione conjunctæ.*

Quin-

Quinto damnavit: *alia te ſcribentem carmina comperi*, & quæ ſequuntur. Cenſuræ cauſa fuit, quod membrum iſtud, ſine aliqua conjunctione, ab antecedente ita ſolutum atque diſtinctum eſt, ut nullo prorſus cum eo vinculo colligetur. Propterea ſic corrigebat: *atque alia te ſcribentem carmina comperi*. Sexto verbum *comperi* hoc ſenſu ei minime arridebat. Septimo univerſim locutionem, ordinem, poſitumque verborum tuum, latini nihil redolere aſſeverabat. Tu vero, amiciſſime Alfene, ne te maceres: criticus enim inſubidus, rabidus, & malignus eſt. Quare patienter ceteras ejus criminationes audi. *Carmina ſcribebas nobis aſtantibus, atque in ipſa turba matutinæ ſalutationis, uno eodemque temporis puncto aderas advenientibus, neque deeras muſis*. Hoc ſi miraculum neges, nullum fuerit miraculum: *uno eodemque temporis puncto* tam multa, tamque diverſa ab uno homine ſine miraculo certe fieri non poſſunt. *Aſtare* pro præſentem eſſe recte, an ſecus adhibueris, grammatici viderint. Laudavit tamen (lætare) poſtrema illa verba: *aderas advenientibus, neque deeras muſis*. Quippe invidit malignus exploratum tuarum aurium judicium, & peringenioſam annominationem. Tu, ſi ſapis, quod dat, accipias. *Par ingenio ampliſſimum geris eminentiſſimumque ſacerdotium, litas muſis & religioni ſacra facis*. Hic quoque laudavit omnia: tantum pauca quædam ſe non intelligere confeſſus eſt. Primo enim, quid tu *ſacerdotii* nomine acciperes, non bene aſſequebatur: nam ſi vulgari hodierno ſenſu *ſacerdotium* accipiatur, id quidem aut munus

 ipſum

ipſum Sacerdoti proprium, aut univerſum Sacerdotum cœtum deſignat. Utrumque autem ampliſſimum atque eminentiſſimun eſt: ſed primum cuique Sacerdoti commune; ſecundum adeo cœtui, ordini, corporique univerſo proprium eſt, ut individuum ſit, velut Eccleſia, Imperium, Principatus. Quamobrem neutro ſenſu Cardinali Ampliſſimo privatim tribui poterat. Si vero *ſacerdotium* gentilium ſenſu accipiatur, tum etſi, ut optime definit Sigonius, curationes omnes eorum comprehendit, qui res ſacras & divinas tractant; tamen velut ſpeciatim proventus ipſos Sacerdotum notat, & belle ethnicorum principum beneficiis reſpondet; unde traductum poſt fuit vocabulum ad ea beneficia deſignanda, quæ Eccleſiaſtica dicta ſunt. Atqui hoc ſenſu ſacerdotium ampliſſimum quidem eſt, ſi lautum & uber ſit, ut patrimonium vocatur ampliſſimum; *eminentiſſimum* vero dici nequit. Sic tamen acceptum, male cum verbo *gero* conjungitur; quo ſenſu Latini dixerunt, *inire ſacerdotium*, aut *venire in ſacerdotium*. Ac ſi dicas, Alfenum ad vim tantum verbi *emineo*, non ad vulgarem ejus acceptionem reſpexiſſe; bene vides, hoc nomine unum Romanorum Pontificem *eminentiſſimum Sacerdotium* ſuſtinere. Ceterum vox *eminens*, e qua *eminentiſſimus* profluxit, primum & ſemel a Vellejo Paterculo pro notabili, illuſtri, inſigni uſurpata fuit, præpoſita *ſimplicitati*: ait enim lib. 2. cap. 72. *Eminentiſſimæ ſimplicitatis vir*; deinde, & ſemel etiam a Quinctiliano lib. 1. cap. 2. his verbis: *eminentiſſimi auctores*. Et quidem Alfenus tam *eminentiſſime*

ſim-

simplicitatis vir, quam *eminentissimus auctor* haberi vult. Posterioribus imperii temporibus, quorum (utpote medii, & barbari ævi) peritissimus Alfenus est, vox *eminens* in titulum & honorem abiit, qui Præfecto Prætorio, & Magistris militum tribuebatur. Exinde vero in titulum Cardinalium S.R.E. transiit. Atque hæc adeo trita esse dixit, ut quivis ex quolibet lexico facile discere queat. Secundo illud *litas musis, & religioni sacra facis*, quomodo condonetur? *litare* enim, ut nosti, est sacrificiis Deos placare; in hoc diversum a *sacrificare*, quod potest quis *sacrificare*, sed non *litare*; haud vicissim. Sed res notior est, quam ut egeat monitore. *Sacra facere religioni*, nihil prorsus significat. Ac si verbum *litare* arridebat Alfeno, saltem dicere debuisset: *una religioni & musis litas*; elegantius tamen dicere potuisset, *religioni vacas & musis*. Tertio: quæ isthæc, præter morem iratus, dicebat, est inscitia, ne dicam irreligio, sacra cum profanis miscere, nullaque ratione cogente? Alfenus, Lande, non magis religionem, quam latinum sermonem didicit. Quid enim illud est, toties *musas* laudare, & statim *religionem* adjungere? Nunc *Deos immortales* more ethnicorum, nunc *Deum Optimum Maximum* more Christianorum appellare? *Litare musis*, ne gentiles quidem serio dixere. Cur non dixit: *Par ingenio amplissimum in Ecclesia munus geris, & una religioni ac literis das operam*? Quibus omnibus perpaucis respondi: quisquiliæ istæ tuæ sunt, Quiritalle, quas Alfenus meus, non pluris, quam te facit. Et ille perfricta, ut solet, fronte, ad le-

 gen-

gendum rediit: *Utinam tibi contingat, quod a Deo Optimo Maximo precamur, ut aliquo in musarum domicilio insigne nanciscaris sacerdotium, te auspice una cum litteris foveretur religio, ara sacellum templum bonis avibus lætisque portentis dedicarentur religioni simul & sapientiæ*. Mira omnia! subridens ait: *Utinam tibi contingat .... ut .... nanciscaris Sacerdotium*. Punctum hic *admirativum*, ut grammatici loquuntur, desideratur. Sed frustra ab Alfeno, qui nec commatis, nisi perraro utitur, *admirativum*, & *interrogativum*, & *dimidium punctum speres*. Forte ne fortuna obtingit *Sacerdotium*? Non satis fuerat: *utinam nanciscare*! O Alfene, tui me pudet pigetque. Cur vero precaris a Deo Optimo Maximo Mœcenati, aut præconi tuo *sacerdotium*? An eo nunc non fruitur? An vero illustrius & honorificentius? Atqui paullo ante dixeras: *Par ingenio amplissimum geris eminentissimumque sacerdotium*. Quodnam igitur aliud *amplissimo eminentissimoque sacerdotio* amplius & honorificentius assequi potest? *Te auspice* (ante *auspice* præmitti potuit *duce*: Latini enim dicebant: *te duce & auspice*) *una cum litteris foveretur religio*. Deinde: *ara*, *sacellum*, *templum* (quæ commatis distinguere oportebat) *bonis avibus lætisque portentis instituerentur*, *dedicarentur religioni simul & sapientiæ*: hæc omnia, ut inficeta & redundantia, fac deleantur. Quorsum enim illa *bonis avibus*, *lætisque portentis* mere gentilia? At si latine loquenti ejusmodi locutiones permittendæ, tamen satis fuisset, *bonis avibus*. Denique *læta*, *bona*, *fausta*, *tristia*, *dira*, *infausta omina & prodigia* passim

ſim apud Latinos ; *læta* vero *portenta* & *monſtra* perraro, ſi unquam, leges. Si futilia, atque erronea, Lande, reſeces, ad tertias, ut defrutum, tota redigetur Alfeni epiſtola. Quid multa, vereor ne plura ſint menda, quam verba? Quo refertur *inſtituerentur*? Ara, ſacellum, templum rectius *cxſtrui*, quam *inſtitui* dicuntur. Ulterius: *Dii hominesſque, quibus eſt rerum humanarum imperium & poteſtas, veſtram fidem appello, tantæ rei humano generi neceſſariæ perutili date opem celerem ſubitam præſentiſſimam*. Supra, Chriſtianorum more, a Deo O. M. *Sacerdotium* inſigne in aliquo muſarum domicilio precatus fuerat Mœcenati ſuo; nunc ad ethnicorum caſtra refugiens, Deum homineſque obſecrat, ut ſe voti compotem faciant. Quod adeo enixe facit, ut ſi reſpublica Chriſtiana in ſummo diſcrimine verſaretur, Deum homineſque efficacius obſecrare non poſſet. *Tantæ rei .... neceſſariæ perutili* .... Si *res tanta* eſt, profecto & neceſſaria, nedum utiliſſima eſt. Nam *tanta res* ſatis ſuperque neceſſitatem atque utilitatem indicat. Præterea ſi res *neceſſaria* eſt, ſubauditur *utilitas*: nihil enim neceſſarium eſſe cuiquam poteſt, nedum univerſo humano generi, quod magnam ſimul utilitatem non afferat. O Lande, Alfenus tuus abundat verbis, ſed mere ſonantibus & ſenſu carentibus. Quid diceret, reſpondi, ſi vere ac preſſe diceret? Si ſciret, permulta ac vera Cardinalis ſubminiſtraret laudanda & inculcanda; & ſi philoſophica cum humanioribus litteris conjungere didiciſſet, veriſimilia plura & pulcherrima inveniret, quæ orationi materiam

ſug-

ſuggererent. Cum vero ab utriſque deſeratur, ad inanem loquentiam confugere cogitur. *De me vero obnixe in reſtituendis veteris Papiæ monimentis omnem conatum impendente, maximus eſt tuarum laudum cumulus*. Ordine hic opus eſt, ut ſenſus divinari poſſit: *maximus vero eſt cumulus laudum tuarum de me obnixe conatum omnem impendente in reſtituendis monimentis veteris Papiæ*. Laudes, quæſo te, Lande, quem ſpectant, Cardinalem, an Varium? Oh infelicem hominem! In animo quidem vir *eminentiſſimæ ſimplicitatis* habuit dicere: *maximæ vero ſunt laudes, quibus pro tua humanitate me omni ſtudio veteris Papiæ monumenta reſtituere conantem cumulas*. Quod cum ab ſui latini fundi anguſtia colligere non quiſſet, ſic perturbate, contorte, obſcureque dixit, ut an ad Cardinalem, an ad ſeipſum referrentur, lectori interpretandum reliquerit. *Tuarum* enim adjunctum, Cardinalem, non Varium indicat; ſententia vero Alfenum requirit. Adverbium *obnixe*, ut *enixe*, conatum omnem comprehendit. Quamobrem illud *omnem conatum impendente*, bilem, riſumque intelligenti movet. Sed hiſce deliciis cupediiſque maximopere capitur Alfenus. Supra enim dixit: *tantæ rei . . . . . date opem celerem ſubitam præſentiſſimam*. O Vari, o Alfene, quam *eminens*, quamque admiranda tua eſt inſcitia! Sed ad reliqua properandum eſt, ne tua, Lande, patientia abutar. *Ego hanc urbem, Princeps Eminentiſſime, patriæ loco diligo, hic mihi eſſe videtur domeſticus focus, hic lar ille meus familiaris*. Ne jures, credimus, Alfene. Quanta vero in his verbis eru-

ditio! quanta ad gratiam aucupandam eloquentia! *Augustæ domus imperio ad Insubres hasce Athenas vocatus amplissimis sum muneribus, administrorumque Augustæ ejusdem Gentis Firmiani VVilcekii Pecciique bona gratia voluntateque recreatus*. Imperium huc male quadrat. Quare dicere oportebat: *Augustæ domus clementia, & beneficio ad Insubriæ lyceum amplissima mercede allectus arcessitusque, administrorum Firmiani, VVilcekii, Pecciique egregia voluntate mirifice sum recreatus*. *Munera* longe aliud, Lande, notant, quam *merces*, *stipendium*, *honorarium*: quod fugere non debuit Alfenum J.C. *Scio a Cæsare Pio Felici tanta in me derivari ingentia beneficia*. *Pio*, *Felici* addendum fuisset, Romanorum more, *Augusto*. Nomen *felix* etsi ex eis est, quæ in sexto singulari casu peræque in *i*, & *e* finiuntur; aurium tamen judicio hic dicerem: a *Cæsare Pio Felice Augusto*. *Derivari* ab uno in alium beneficia, elegans nova locutio est, Variano latino-barbaro lexico adjicienda. Tum vero incensus ira, mi Vari, maligno Quiritallo dixi: quin tu, pessime Aristarche, melius dic, si potes? & ille placide: *proficisci*, *conferri*, *tribui*, *redundare* dixerim. Atqui, iratior respondi, nulla, nisi fallor, inter *proficisci*, *conferri*, *tribui*, *redundare*, & *derivari*, est differentia. At ille de more irridens ait: Papæ! tu Alfenum ipsum superas. *Tanta ingentia*, si quid video, idem prorsus est, ac *tanta magna*. Quis autem, Lande, sic unquam locutus est? Vim ne latini sermonis intelligit Alfenus? Ego quidem dixissem: *non me latet a Cæsare* (nam *Pio Felice Augusto* in familiari epi-

stola

ſtola locus eſſe non videbatur) *tot ac tanta in me beneficia proficiſci*. Antequam vero hinc abeam, ut Alſeni copiam varietatemque dicendi pernoſcas, advertas velim, intra vicenos fere verſus, ter vocem *tantus*, bis vocem *quantus* eademque plane formula repeti: *quantum eſt ingenium tuum, quanta ejus acies, quanta vis animi; tantæ rei, tanta in me derivari*. Mox tamen vox *tantus* iterum recurret. *Anne ergo ingratus atque immemor beneficiorum ut ſim, pro viribus non agam, ut vetera bujus urbis principis italici regni monimenta in illuſtri baud ponam documento, tanta in me collata beneficia poſteritati teſtatura?* Quot verba, tot margaritæ! Mehercle, Lande, ſi Alfenus hic eſſet, eumque rogares, ut locum hunc italice verteret, magnopere torqueretur; & quamquam *vivos*, ut inquit ille, *roderet ungues*, neſciret miſer. *Anne ergo* primo moleſtum eſt auribus. Quare *an igitur*, vel *an ergo*, melius ſonat. *Nonne* tamen dicere debuiſſet, ut mox demonſtrabitur. Deinde *ingratus atque immemor ut ſim*, ſignificat, manibus pedibuſque Alfenum conari, ut ingratus & immemor ſit. Id autem vir gratiſſimus nec vult, nec dicit. Ergo ſic corrige: *Nonne igitur ingratus, atque immemor tot tantorumque beneficiorum forem, ſi totis viribus non conarer, vetera bujus urbis, Italici quondam regni principis, monumenta illuſtrare?* ... *Ponere in illuſtri documento*, quid, per tua carmina, oro te, Lande, ſignificat? *Tanta in me collata beneficia poſteritati teſtatura*. *Monumenta* ne illuſtranda *teſtatura* ſint lautam mercedem (id enim valent *beneficia*); an vero lauta merces *monumentorum*

torum illustrationem posteritati significatura sit, in ambiguo reliquit Alfenus amphibolia.

Quo tua te duxit scribendi insana cupido! *Velim ut mihi vitæ duplicetur spatium, non ad voluptates, non ad opes, quæ fluxa omnia sunt & caduca.* Salutare opportunumque monitum, quod, ut ab omnibus præteritum, ab Alfeno exspectandum fuerat. *Sed ad rem, uti ea concepta est, absolvendam perficiendamque.* Pro re tanta Ticinenses supplicationes tibi decernent novendiales. *Ad rem, uti ea concepta est...* Lande, si monumentorum urbis Papiæ illustratio sic ab Alfeno concepta est, ut concepta ac perscripta ipsius est epistola, *Romæ secundæ monumenta* æternum valebunt. Quare sic corrige: *Quam velim, vitæ spatium mihi prolatari, ut quemadmodum animo præceptum habeo, sic numeris omnibus opus absolvam.* Deinde: *Magna mihi præstantissimæ hujus urbis est auctoritas, magnum est splendidissimi ordinis decus, civiles sunt totius populi mores.* Ut sententia rectius procedat, dele illud *mihi.* A *tanto* & *quanto* nunc transit *ad magnum*. Utinam aliquando Alfenus, Lande, ad *parvum* deveniat, quod sibi tam proprium & privatum est! Rectius, & latinius, rationique magis consentaneum fuisset dicere: *magnæ mihi auctoritati sunt præstantissima hæc urbs, splendidissimus ordo, moratissimus populus.* Nam, ut ab Alfeno scriptum est, neque sententia, neque membrorum nexus, neque verborum significatio sibi constant. *Magnum* enim *decus splendidissimi ordinis*, Alfeno, an Ticinensi Ordini referendum est? Morum populi civilitas, quid Alfenum attingit? Sed frustra ego sententiam,

nexum, locutionem quæro in epiſtola, quæ tota quanta eſt, pura puta ineptia eſt! *Urbanitas Papiæ, ut Longobardicam omnem civitatem decet, eſt pluſquam latina, omneſque me amore benevolentiaque proſequuntur*. Fuſius auctoritatem civitatis, ſplendorem ordinis, & populi civilitatem explicat. An hæc Alfenus ideo tantopere laudat, quod benigne a Ticinenſibus exceptus, eorum corculum evaſerit? Quid tu, Lande, ais, credendum ne quod ſcribit Alfenus? Veriſſimum, inquam, autumo: eſt enim erga amicos & fautores ad aſſentationem uſque officioſus; ceterorum adeo parcus laudator, ut rivales inimicoſque odio Vatiniano proſequatur, maledictisque infames reddere honeſtum putet. Alfenus enim, ut Comici verbis utar, *vehemens eſt in utramque partem*. Ita prorſus, reſpondit ille: ergo neque cum impenſius laudat, neque cum valdius accuſat, ullam fidem meretur. Jam vero nimius es Majo: perge, ſatis eſt. *Univerſitates collegiaque antiquitus conſtituta perdurant, ac more majorum retinentur*. Quot ſunt *univerſitates*? Si plures ſunt, nulla vera *univerſitas* eſt; collegia plura eſſe poſſunt. Mitto verbum *perdurant*, cujus loco *vigent*, *perſtant*, *obtinent* melius dicitur. Poſtremo ſi *perdurant*, ſuperfluens eſt *retinentur*. Quare ita corrigas: *Univerſitas & collegia antiquitus conſtituta vigent*. Pergo. *Cognitorum illud, quod doctorum nunc dicitur, patriciis viris refertum adhuc eſt*. Quanti hoc Ticinenſis antiquitatis monumentum eſt! At ſi *patricii viri Cognitores*, qui Collegium conſtituunt, vera cognoſcunt, væ tibi Alfene! *Tabellionatus in honore etiamnunc eſt:*

est :- Prodigium ! *Tabellionatus* obscuri ævi vox, apposite hic ab Alfeno usurpatur. *Mercatorum honestus ordo, suo etiam jure collegii utitur. Honestus* apud Latinos non idem valet, atque apud Italos; ut *superior*, de quo initio dixi. Sed ubinam gentium, Alfene, artifices, mercatores, classesque aliæ civium suo destituuntur collegio? Ceu mira narras, quæ communia & vulgaria sunt. *Cuique eorum sacra sunt peculiaria*. Apud Romanos religiones cuique familiæ proprias fuisse legimus, apud Christianos secus res habet. Ergo intelligit Alfenus, cuique civium classi proprias esse ædiculas, *capellas*, quas medii ævi voce dicimus. Quid hoc autem tritius, & in urbe Neapoli, & in urbibus, oppidis, vicis, pagisque Neapolitani regni frequentius? *Sunt & alia quamplura talia*. Vox *talia*, hoc loco, elegantissime adhibetur. Ergo nihil singulare vetustissima Ticini urbs habet. *Omnia in hac urbe læta sunt, omnia tranquilla*. Quod ad tranquillitatem, pro certo id habeo; quod ad lætitiam, Alfene, tibi non credo. Nam quæ (Ticinensium id pace dixerim) lætitia, sive hilaritas esse potest in veteri & mediterranea urbe, nec, pro amplitudine, satis populosa? Ticinenses ipsos, qui Neapolim venerunt, ego testes appello. Tibi omnia isthic læta & tranquilla esse gaudeo, ac perdiu esse volo. Nam ubi bonum, ibi & patria, & lætitia, & tranquillitas est. Neapoli, quæ omnium externorum hominum consensione amœnissima urbs est, nihil tibi lætum tranquillumque fuit: haud igitur miror, si tibi Papia hilaris ac ridens sit; Neapolis vero tristis

 & in-

& infelix. At quoties maritimam oram & craterem, & collium urbi circumpositorum amœnitatem reminiscere, sordebit efficta, atque exaggerata isthæc Ticini lætitia. *Hoc miror querorque omnem hominem ignarum rerum humanarum rationemque feudorum præcipue docentem omnia antiquitus sanctissime instituta contaminasse corrupisse delevisse Gothos Longobardos Francos, tantique est apud auditores suos præjudicata opinio, ut etiam sine ratione valeat auctoritas.* Locus hic Oedipo indiget. Quid enim, Lande, significet, *omnem hominem ignarum rerum humanarum, rationemque feudorum præcipue docentem*, me plane fugit. Quis enim, quæso te, nisi plane stipes, rerum humanarum ignarus esse potest? Inter res humanas recensentur non tam scientia, eruditio, ac liberalis quæque institutio cultusque corporis, quam esse, bibere, dormire, ingredi, laborare, loqui, obloqui, jocari, desipere, atque alia permulta. Quare si vera loquitur Alfenus; is, quem *omnium* (sic corrige *omnem*) *ignarum rerum humanarum* prædicat, hæc etiam nescire debebit. Quis vero rationem *feudorum* docere valebit, qui rerum ipsarum, quas solo naturæ ductu quisque addiscit, insciens sit? O Alfene! tenebris ipsis mens & scribendi ratio tua tenebricosior est! *Omnia antiquitus sanctissime instituta contaminasse corrupisse delevisse Gothos Longobardos Francos*: finitum, quod tot infinita regit, Ticinus amnis, adventu tuo concitatior redditus, abripuit. Quam tu, bone vir, lucem vetustis Papiæ monumentis afferre poteris, qui omni prorsus rationis doctrinæque luce orbaris? Ex tota perio-

periodo ultima tantum verba, quæ Ciceronis sunt, intelliguntur. *An alibi intra vel extra Italiam sunt, ut in splendidissima urbe principe vetustissima hæc monimenta civilitatis, etiamsi consederit in ea Gothus Longobardus Francus?* Densiores fiunt tenebræ. Adeo ne tibi, Alfene, indulges, ut cum e patria decesseris, & humanitate, ac potius misericordia Cl. hominum hospitium repereris Papiæ; statim non alibi veterum bonorum morum vestigia superesse affirmes? *Urbs princeps* jam mihi nauseam creat. Ubi est feracitas ingenii tui! Sed ita sit. Isthic igitur, cum plurima, & singularia civilitatis sive monumenta, sive documenta repereris, fac ut resistas, & humanior comiorque tandem fias. Nam etsi neque ingenio, neque doctrina cuiquam esses Neapoli invidendus; tamen asperitate morum nemini eras tolerandus. Atque, ut liberius jam loquar, non tam inscitia (quæ tibi cum multis communis est) quam mordacior lingua, invisum te fecit omnibus; quamobrem patriam relinquere coactus es. Nec quisquam sanæ mentis, te patriæ civibusque tantopere insultantem legens, te frugi hominem judicarit. Provide igitur, ne, cum injurias a patria & civibus (ut, præ tua arrogantia, opinaris) acceptas ulcisci satagis, tute tibi gravius obsis. Irasci, o bone, tum expedit, cum aliis, non tibi incommodes. *Rejicienda hæc sunt ad corruptissimos Italicarum gentium mores, ex quibus vetus institutum concidit.* Redeunt tenebræ. Quid illud *rejicienda hæc sunt*, doctissime Alfene, significet, mihi velim aperias? Per hospitale Ticinum, & *decorum*

corum ingenium tuum oro te, ut omissa scribendi provincia, aliquem grammaticum convenias, eique te, ut puerum, ab elementis erudiendum tradas. *Ex quibus vetus institutum concidit* : præposito *ex* verbum *excidit* postulabat. Quomodo autem velim mihi dicas, *excidit institutum ex gentibus*? Nonne dicendum fuisset, *quæ ex vetere instituto exciderunt*? Corrige igitur: *Hæc tribuenda sunt corruptissimis moribus Italicarum gentium*, *quæ ex vetere instituto exciderunt*. Atque latine sic melius. Verumtamen non tuis modo Neapolitanis, sed universis Italis grande crimen appingis. O sapientem probumque hominem! *Sed quoniam abstrusa hæc sunt*, *obscuraque pro ratione temporum*, *atque ei incomperta*, *turpi cum mendacio quæ exolevere*, *quorum dixi principum ferro tribuit*. Integrascit caligo. Si abstrusa & obscura pro ratione temporum sunt, eccui, Vari, comperta esse possunt? *Turpi cum mendacio*: an aliquod est *mendacium liberale*? Emphasis hæc est, tum ego, Alfene, cum insolentissimi hominis audaciam amplius ferre non possem, iratus dixi. Et ille imperturbatus: sat intelligo, respondit, continuoque subdidit: ergo sic integram periodum refinge: *Sed quoniam hæc pro ratione temporum abstrusa & obscura sunt*, *turpissima inscitia*, *rerum omnium*, *quæ ipsi sunt incompertæ*, *quæque exoleverunt*, *causam principum ferro tribuit*, *quorum supra memini*, *Gothorum*, *Longobardorum*, *Francorumque*. Clarius tu quidem, dixi; sed & minus emphatice, & multo verbosius idem explicas. Ita sane, inquit: sed tua isthæc, & Alfeniana emphasis, ut barbara, aureæ æta-

ætatis ſcriptoribus repudiata fuit. Verboſum, Lande, illud eſt, quod peræque paucioribus explicari poteſt: contra, quod dilucide apteque dicitur, minime verboſum eſt. Brevitas iſta Alfeniana, ſi nihil præterea vitioſi præ ſe ferret; ab optima tamen ſcribendi ratione, quæ aureæ ætatis fuit, ad deteriorem Taciti, Pliniorum, Suetonii, aliorumque deflecteret. Utinam vero Alfenus Taciti, aliorumque declinantis ævi ſcriptorum ſtilum imitaretur! Preſſus, conciſus, gravis, & ſublimis eſt Tacitus; ſed a quoquam latini ſermonis non rudi intelligendus. Tuus autem Alfenus aut ineptiarum, aut abſurdorum, aut tenebrarum penus eſt. Quin vir tantus inter *mendacium* & *errorem* non diſtinguit: cum nemo ignoret *mendacium* eſſe, cum quis ſciens volens falſum affirmat; *errorem* vero, cum quis, non fallendi animo, ſed inſcitiæ tantum cauſa falſum dicit. Minuta hæc, mi Quiritalle, Alfenus ſpernit. Immo, Lande, & minuta & majuſcula non tam ſpernit, quam neſcit Alfenus J. C. *Iis omnibus ego auctor ſum, quibus civitates ad veterem faciem inſtaurare, atque ad priſcos mores componere voluntas & poteſtas eſt, unam hanc urbem exempla inſtitutaque omnia eos perdocere poſſe*. E diverticulo redit in viam. Hortatur igitur & monet principes viros, qui civitates ſuas ad priſcorum mores & inſtituta redigere velint, ut Papiam veniat, abunde daturam exempla & rationes, quibus ſuas civitates ad priſtinam veteremque faciem & formam reſtituant. Papia ne, Vir omnium naſutiſſime, quam Ampl. Cardinalis Durinus in elegantiſſimo ad te ipſum epigrammate,

mate, situ, squalore, barbarieque horridam vocat, exempla & instituta principibus viris dabit, quibus nitorem cultumque veterem suis civitatibus concilient? *Credat Judæus Apella!* Hoc ad sententiam; restat quod ad verba pertinet. *Instauro & restauro* ab eodem manant fonte (etsi posterius ab aureæ ætatis scriptoribus usurpatum non legitur) idemque valent (nempe Isidori, Festi, & Macrobii auctoritate) atque *ad pristinam similitudinem & comparationem aliquid reficere*. Propterea male Alfenus tuus J. C. Cl. inquit: *civitates ad veterem faciem instaurare*: simplex enim *instaurare* tantundem notat. Quod adeo verum est, ut nunquam apud classicos auctores legisse meminerim verbum *instauro* cum quarto casu & præpositione *ad*. Id autem, Lande, Alfenum J. C. ignorasse, non levis est culpa. Perge vero. *Civitates ad priscos mores componere*, nunc primum ab Alfeno dictum audio. *Capillos*, *lites*, *rempublicam*, *civitatem*, *controversias componere*, ut etiam *componere* pro *sepelire*, Latini dixerunt; *mores* autem *componere*, quod sciam, Latinorum nemo dixit. Novam latinitatem, mi Lande, invexit Alfenus, quam frustra in veteribus probabilis ætatis quæras. *Servantur boni mores; pravi corriguntur; veteres revocantur; novi inducuntur*. Quam vero, Lande, acutum illud est: *quibus voluntas & potestas est?* Sed quæ finis, si delicias omnes Alfenianas persequi velim? *Unam hanc urbem exempla institutaque omnia eos perdocere posse*. Membrorum nexum omni prorsus carentem nexu, missum facio: quam quidem prærogativam nemo Alfeno denegabit.

Tan-

Tantum abs te quæro, num ex tui ſodalis verbis intelligas, an urbs Papia Principes civitatum exempla inſtitutaque docere poſſit; anne Principes civitatum hæc Papiam docere queant? *Papiam magiſtram*, dixi; *Principes diſcipulos*. Recte tu, Lande; ſed ut ipſe loquitur, tam ambiguus ſenſus eſt, ac ille Oraculi notiſſimus:

Ajo te Æacida Romanos vincere poſſe.

Eſto tamen, ſenſus ex eis, quæ antecedunt, eliciatur. Quid vero de ſententia dicemus? Credis ne Lande, leges, mores, inſtituta Papiæ tam eximia eſſe, ut exemplo documentoque Principibus, Legislatoribuſque futura ſint, quo rectius conſtituant, & bonis moribus ſuas imbuant civitates? Profecto, ſi vera ſunt, quæ aſſeveranter Alfenus tuus affirmat, propediem, ſtatim ac ejus epiſtola in Principum Legislatorumque manus perveniet, undique Ticinum legati conſultum oratumque venient Ticinenſes profeſſores, in primiſque Alfenum. Quantam inde gloriam *Athenæ Inſubres*, & Dominicus Alfenus Varus, corrupte Varius (veteris J.C. Alfeni Vari gentilis ſui doctrinam renovans) adipiſcentur? O Beatam Papiam Flaviam! O celebrandum Dominicum Alfenum Varium! O felicem terrarum orbem exemplis inſtitutiſque Ticinenſibus (Alfeni tui eruditione, acumine, eloquentia illuſtrandis) ad optimam frugem redigendum! *Quid de hac ſtudiorum univerſitate dicam*? Quin iſthæc perantiqua nobiliſque ſit, nemo dubitavit. Quæ poſthac futura ſit, te Viro ſingulari adlecto additoque, tua ipſa epiſtola æquis rerum æſtimatoribus portendit. Unum te

 moneo,

moneo, *ſtudiorum univerſitatem* apud Latinos non reperiri, eamque italicam phraſim eſſe, barbaris ſcriptoribus, non tibi doctiſſimo J. C. latiniſſimeque ſcribenti, permittendam. *Docent in ea profeſſores undequaque honeſtis locis evocati arceſſitique; eorum quiſque non ſolum libris addictus, quam obrutus, mutuo amoris vinculo vincitur, nectitur, de virtute tantum certat. Docere profeſſores*, pace tua, mi Alfene, inconditus mihi videtur pleonaſmus: ſi quis enim, Vir Cl. diceret, *agricolas agrum colere, milites pugnare, nautas navigare, medicos mederi, cauſidicos cauſas agere, ſcriptores ſcribere, ineptos ineptias dicere*, riſum auditoribus moveret. Quare cum profeſſorum munus ſit docere, ſupervacaneum eſt verbum *docere*, quod neceſſario ſubaudiendum eſt. *Undequaque honeſtis locis evocati arceſſitique*. Primo, mi Alfene, *undequaque* barbarum eſt. Deinde, ſi *undique* evocantur arceſſunturque: aut omnia loca, e quibus evocantur, honeſta ſunt, & redundat illud *honeſtis locis*; aut non omnia loca ſunt honeſta, & non undique arceſſuntur. Quæ vero, dic mihi Lande, ſunt iſthæc *honeſta*, & *inhoneſta* loca? Moleſtus ac petulans es, Quiritalle, cum hac tua dialectica ſubtilitate. Licet magnis viris, non tibi, quandoque hallucinari. Mens tamen, Lande, & ratio cujuſque, ex ſermone perſpicitur. *Eorum quiſque non ſolum libris addictus quam obrutus*. Profecto libris litterarum profeſſorem addici neceſſe eſt; obrui vero libris tantum non eſt neceſſe, ut etiam periculoſum ſit: nam fieri poſſet, ut eorum mole ac pondere ei ſpiritus intercluderetur. *Non*

ſolum,

solum, mi Lande, requirit *verum etiam*, non *quam*; *quam* vero requirit *tam*. Puerilia, Majo, ridicula, inficeta hæc esse quis non videt, respondi. Adolescentuli, quos adduxisti, hæc omnia e Tursellini *particulis* intra perpaucos dies optime discunt. Alfenus autem meus minima hæc grammaticis reliquens, seria, illustria, & difficilia persequitur. Recte tu quidem, Lande: attamen, ut hæc scire minime gloriosum est, sic contra turpissimum est nescire. Sed quid de sententia dices, quæ falsa est? Nam qui libris tantum addictus est, ea solum, quæ legit, noscit & sequitur; seu vera, seu falsa, seu dubia, Contra professor ita libris addicitur, ut vera probet, falsa refellat, dubia explicet; ac de suo etiam aliquid novi præclarique adjiciat. *Mutuo amoris vinculo vincitur, nectitur, de virtute tantum certat*. Quid tu ringeris Lande? Num tibi offendit aures asper collisus *vinculo vincitur*? Ita. Atqui hæc, ut nosti, figura est, qua cum primis delectantur poetæ, quoties ipso verborum sonitu, rerum, quas describunt, species legentium animis fortius ingerere student:

Viva videns vivo sepeliri viscera busto,

cecinit Lucretius; cujus quidem versus major mihi videtur asperitas, quam duum verborum Alfeni *vinculo vincitur*. Nihilo tamen minus hic Lucretii versus ab acerrimo quoque critico magnopere commendatur. Lucretius, respondi, cum miserrimam vivorum hominum, se a beluis vorari videntium, mortemque suam deplorantium describeret, arte horridum versum composuit. Atque

 id

id genus verſibus poetæ, maxime tragici, abundant; ſecus vero alii, qui heroica, ludrica, amœna & amatoria tractant, ut verſus ille Tibulli:

Sis felix, & ſint candida fata tua.

Quantam verſiculo mulcedinem conciliat littera *a* in proximarum vocum fine ter iterata? Gravis, tenuis, aſper, mollis, acutus, lenis verborum ſonus, rebus ipſis reſpondere debet. Hæc vero tibi, Majo, notiſſima. Quare ſatis, Alfene, incuriam tuam mirari nequeo; qui cum mirificum Ticinenſium Profeſſorum inter ſe mutuum amorem nobis exponere conareris, aſperiore concurſu vocum *vinculo vincitur*, qui odium potius exprimit, uti malueris? Quod ut audiit Majo, illico exſultans inquit: jam te rectios ſentire gaudeo: vides igitur Alfenum tuum auribus æque, ut ingenio obtuſum eſſe. Nihil minus, Quiritalle: *quandoque bonus dormitat Homerus*. Homero, Virgilio, Demoſtheni, Ciceroni, Lande, & hujus, vel inferioris etiam claſſis auctoribus, ſi quid humani accidat, libenter ignoſcitur; eis vero, qui Minerva, muſiſque omnibus invitis & indignantibus ſcriptitant, & ſibi plaudunt, & aliis inſultant, quis adeo boni manſuetique ingenii fuerit, quin acriter ſuccenſeat? Nec tantum in re jucundiſſima, qualis mutuus amor eſt, ingratus verborum ſonus offendit; verum & phraſis ipſa ad riſum quemque prolicit: nam *vinculo vincire* idem eſt ac *flagello flagellare*, *verberibus verberare*, *equo equitare*, *navi navigare*, & ſimillima plura. Nec vero me latet, hæc ipſa aliquando laudari, & inter elegantias referri, ut *multare multa*, *vivere vitam*, *morte mori*, &

alia

alia id genus apud optimos auctores occurrentia. Attamen acri subactoque tum aurium, tum mentis judicio opus est, ut, quando istiusmodi figuris locus esse debeat, pernoscatur. Crassissima vero Alfeniana tela isthæc respuit ornamenta. Nec reperias, Lande, apud Latinos *vinculo vincire*, sed *obstringere*, *astringere*, *obligare*. Quin hoc sensu Latini, composito potius *devincio*, quam simplici *vincio*, utebantur. Proinde frequentissime legas, *officiis*, *beneficiis*, *benevolentia*, *comitate*, *studiorum similitudine homines inter se devinciri*. Post *vinculo vincitur*, quibus verbis artissima validissimaque animorum conjunctio significatur, superfluum & ridiculum est verbum *nectitur*; cujus quidem similis, sed minor vis est. *De virtute certatur*. Quid sibi velit Alfenus magnus, satis intelligo; sed quorsum liberalis hæc æmulatio eruptura sit, pertimesco. Alfenus enim, etsi Alfeno Varo, gentili suo, vetere Romano J.C. doctior, atque ingeniosior; natura tamen amarior est, & in nobili oppidulo natus, cui plerique celebres etymologi conterranei a salo, vel a sale, vel potius (ut nuper amicissimus vir atque eximius antiquarius, ex lapide ibidem reperto, & saracenicis litteris scripto ostendit) ex nescio quo Hali Salem Saracenorum duce, oppidulique conditore, inditum nomen fuisse contendunt; adeoque ferociore ingenio præditus, haud æquo animo ferre poterit, sibi quemquam ex collegis æquiperari. Itaque, nisi Dii Deæque mercurialium virorum tutelares prohibuerint, litteraria concertatio in veram primitivamque pugnam abibit. Quænam vero, amabo te, Quiritalle, vera hæc

est

est & primitiva pugna? Miror, Lande, te nescire, quod omnes sciunt. Pugnorum pugna est. Mihi vero placet, inquam, tua hæc festiva loquendi ratio. Vides igitur, quando figuris hisce uti liceat, quando non. Quod Alfenus ipse (caldi enim irritabilesque homines aperti sunt) innuere videtur, verbis illis: *de virtute certatur*. Nam etsi *virtus* animo & corpori tribuitur; primitus tamen propria fuit corporis, ac fortitudinem, vires, robur, præsertim militum, notabat; deinde ad animum translata fuit, & animi quoque fortitudinem indicavit. Hæc autem animi vocata fortitudo, ab ceteris ejus actibus, quæ probitatis, prudentiæ, ingenii, consilii, doctrinæ, amicitiæ, comitatis, & alio nomine veniunt, differt; nec aliud exprimit, quam animi præsentiam in tolerandis injuriis, & periculis subeundis. En tibi luculentum Ciceronis locum ex oratione pro Planco desumptum: *virtus*, *probitas*, *integritas in candidato*, *non linguæ volubilitas*, *non ars*, *non scientia requiritur*. Idem alibi *virtutem voluptati* opponit. Disertius autem Ovidius in elegia ad uxorem, differentiam hanc inter *virtutem* & *probitatem* exposuit:

Nota tua est probitas, testataque tempus in omne;
Sit virtus etiam non probitate minor.

Quare Alfenus cum se & collegas suos *de virtute* (elegantius *virtute*, deleta præpositione *de*) *certare* affirmet; non alio pacto *animi virtute* eos inter se contendere tuebitur, quam *virtutis* significatum vulgari grammaticorum sensu accipiens: nimirum, quo *virtus vitiorum hostis* dicitur. Adhuc, Lande, Alfenus reminiscitur dictati, quod

quod puer reddebat doctori suo: *optimi adolescentes amant virtutem, & vitia contemnunt*. Quibus verbis ipse solito vehementius respondi: ohe nimium jam tibi places, Majo, nimiumque Alfeno meo injurius es! Et animi & corporis fortitudine Alfenus valet; & prout ratio postulat, modo hac, modo illa sollerter utitur. Cum igitur, statim respondit malignus, animi fortitudo satis non esse videbitur, confugiet ad fortitudinem corporis, adeoque ad pugnorum pugnam. Certe quidem respondi: nam quod ratione obtinere non possis, vi consequare. Egregie! Cum vero ad pugnam descensum est, quid fiet *mutuo* illo *amoris vinculo* & liberali æmulatione professorum? O Lande:

Causa patrocinio non bona, pejor erit.

Quin, ego respondi, reliqua lege, & ineptis commentationibus finem impone. Ut vis. *Bibliotheca græcis latinis barbaris libris est refertissima*. Id quidem in lyceo vetustissimo & celeberrimo haud mirum esse debet. Librorum vero græcorum latinorumque, mi Lande, quis Vario tuo usus fuerit, qui neque græce, neque latine novit? Tu, inique, respondi, sic ais, non item ego. At vero scribendi ratio Variana id plane docet. Quamobrem cum barbaris libris fœdus inibit Cl. J.C. tuus Alfenus; eosque prolixissime commentabitur, & novis ab se in lucem edendis aliis uberius augebit. *Horti botanici miraculo sunt viatoribus, instrumentorum machinarumque matheseos & mechanices, rerum naturalium etiam amplissima est supellex*. Horti quidem herbei, vel herbacei (id enim græcæ originis vox *botanici* denotat); usu

tamen

tamen recentiſſimorum temporum invaluit, ut horti plantarum medicinalium, horti *botanici* dicerentur; quemadmodum & medicarum plantarum collectores, herbarii Latinis vocati, *botanici* nominarentur. Num vero apud veteres id genus horti colerentur, mihi non ſatis eſt exploratum: vox quidem apud Græcos & Latinos non invenitur huic rei deſignandæ propria. Attamen veriſimilius eſt, antiquitus medicinales herbas e locis, in quibus ſponte (adeoque efficaciores) proveniebant, colligi, tum ad umbram areſieri & ſervari ſolitas: nondum arte, ſales, ſpiritus, olea e plantis, animalibus, foſſilibuſque eliciendi, inventa. Nam ut in veterum lectione verſati norunt, duas hortorum ſpecies antiqui habuere: alteram eorum, qui plantis arboribuſque victui neceſſariis conſerebantur; alterum eorum, qui de induſtria ex arboribus tantum delectis & ordine rationeque diſpoſitis, voluptatis gratia fieri conſueverant. Hortos *medicos* (quos a natu majoribus, *hortos ſimplicium* appellatos fuiſſe memini) quod legerim, antiquorum nemo memoriæ prodidit. Num vero inter voluptarios hortos medici, ſive *botanici* hodie dicti, referendi ſint, viderit, cui otii eſt abunde. Cum autem Alfenus plurali numero hortos hoſce protulerit, eos voluptariis omnino accenſendos eſſe, tanti Viri auctoritate credendum eſt. Nam, obſervantibus eruditis, in primiſque Laurentio Valla, Latini cum horti vulgaris, in quo olera, & arbores pomiferæ ſeruntur, meminerunt, ſingulari plerumque numero; cum vero voluptarii, plurali fere ſemper utebantur. Hui,

Qui-

Quiritalle, quam levia & ridicula objicis Alfeno meo! Putabam te potius phrasi, *miraculo sunt viatoribus*, offensum fuisse: quæ phrasis semel, quod sciam, & alio fortasse sensu legitur apud Livium libro V. belli punici, his plane verbis: *Minusque iterum, & sæpius id eos audere miraculo fuit*: scilicet, id, quod primum eos ausos, *miraculo*, idest admirationi, *fuit*; deinde, postquam pluries ausi fuerant, *minus fuit miraculo*, sive admirationi. Quantum hæc vero sententia congruat cum illa Alfeni: *horti botanici miraculo sunt viatoribus*, tibi acriori disquirendum relinquo. Non injuria id mihi, Lande, in memoriam redegisti; sed tot in hac Alfeni epistola sunt miracula, ut omnia advertere, improbi laboris esset. Tum *viatores*, pro externis hominibus, qui peregre proficiscuntur, ut alias urbes, alias leges, artes, mores alios spectent, accipere, vehemens Alfeni magni hallucinatio mihi videtur. Quisquis enim etiam civis, cum vel ex urbe rus petit, vel rure ad urbem remigrat (quoniam sine itinere locus non commutatur) *viator* est; non item peregrinus, aut peregrinator, aut advena, aut hospes, aut externus audit. O Lande, Alfenus tuus, etsi J. C. singularis, verborum tamen vim, proprietatem, & differentias non satis didicit. Quid quod apud Romanos, *viatores* ministri erant ex grege apparitorum, & lictorum, qui magistratus urbe profectos comitari solebant? Potissima vero peregre exeuntium (si vagos exulesque excipias) & olim fuit, & hodie quoque causa est, celeberrimas urbes videndi, viros doctrina insignes de

facie noſcendi, ſalutandique, & mercaturam exercendi. Quamobrem inter cetera beneficia, quibus Ticinenſe lyceum ab Alfeno cumulabitur, non ultimum hoc erit, ex terris remotiſſimis doctiſſimos viros Ticinum confluxuros, viſendi conſulendique redivivi Alfeni J. C. Pandectas, & novum Jus feudale ſubtiliſſime accuratiſſimeque explicantis. *Inſtrumentorum machinarumque matheſeos, & mechanices, rerum naturalium etiam ampliſſima eſt ſupellex.* Matheſis proprie dicta, ſive Geometria, non aliis eget inſtrumentis, quam regula & circino; matheſis vero phyſicæ diſciplinæ adjuncta, quamplurima inſtrumenta & organa requirit; nec ſolum mechanica, ſed optica, aſtronomica, architectonica, balliſtica, & rei nauticæ. Ad hæc in lyceo tam abſoluto ac perfecto, inſtrumentis quoque & machinis opus eſt tum ad rem chemicam, tum ad electricam, hac ætate tantopere neceſſarias. Quæ unius mechanicæ nomine velle complecti haud rectum eſt. Hæc vero Juriſconſultum ſcire, non oportet. Ceterum, quamvis hæc vera ſint (tametſi Alfenus, tantopere exaggerando, potius elevat); nobis tamen laudandi quidem, non invidendi cauſam præbent. Nam etſi bibliotheca locupletiſſima, & cujusvis generis machinis inſtrumentiſque phyſicis mechaniciſque affluens eſt lyceum Ticinenſe; id vero minime vetat, quominus aliæ civitates, quæ non modo olim, ſed & nunc etiam principatum obtinent, ditiſſimis publicis bibliothecis, & inſtrumentis organiſque phyſicis, mechanicis, atque aſtronomicis abundent. Multa hic, Lande, Alfeno exprobarem,

nisi

nisi ejus me miseratio cohiberet: quæ tamen nunc humaniter, eoque consilio, prætereo, ut resipiscat, ac patrio lyceo ejusque professoribus desinat maledicere. Quod si vero non desierit, tum quæ nolit, quæque fortunas suas funditus eversura sint, audiet. Et bibliothecis, Lande, ut Alfenus scire debet, & instrumentis machinisque omne genus, ad luxum, immo & ad insaniam usque instructi sumus. Vel, qui plurimas delectasque exquisitissimi operis machinas, quas Regiæ Legionis nobilissimus Præfectus Franciscus Pignatellus; & quas Joannes Viventius ex Archiatris, Eques Constantinianus, harum rerum studiosissimi, jamdiu ingentique pretio Londino Neapolim deferri curarunt, viderit; nihil nobis deesse fatebitur, quominus physicam disciplinam, quam late patet, serio ac sedulo excolamus. Sed manum de tabula. Laudo te Majo. Ad Alfeni epistolam revertor. *Rerum naturalium etiam amplissima est supellex.* Si italice Alfenus noster scripsisset, *rerum naturalium amplissima supellex* quid esset, forte intelligi potuisset; cum vero latine scripserit, *res naturales* non id, quod ipse vult, satis designant. In eundem fœdum errorem illapsus hic est Alfenus, ac supra, cum, nescio quem turpi nota inurere intentus, scripsit: *Hoc miror querorque omnem hominem ignarum rerum humanarum* (typographi culpa, pro *omnium*, impressum fuit *omnem*): sed quisquis ille sit, quem ipse *rerum humanarum ignarum* appellat (nam data opera occultat) vel ideo vir eximius esse debet, quod *omnium rerum ignarus* ab ipso nuncupetur. Corrige igitur, & pro *rerum*

humanarum repone, *litterarum humanarum vel humaniorum litterarum*, vel brevius & latinius, *omnis humanitatis*. Nunc, ut museum rariorum speciosiorumque plantarum, animalium, fossiliumque locupletissimum explicet, *rerum naturalium amplissimam supellectilem* vocat. Alfeniana igitur lingua *res humanæ*, quæ omnia ad humanum genus pertinentia; & *res naturales*, quæ quicquid cælo, terra, aere, aquis continetur, complectuntur, ad artissimos politioris litteraturæ, & ad museum physicum rediguntur. *Regia imperatoriaque magnificentia instructa atque aucta sunt omnia, ubique terrarum tanta totque mirabilia non alio visuntur loco quam hic*. Ut, Aristotelis sententia, motus est in fine velocior, sic elegantia Alfeniana in fine luculentior est. *Ubique terrarum tanta totque mirabilia non alio visuntur loco quam hic*. Intelligis Lande, quid sibi velit Alfenus tuus dicens, *ubique terrarum*, & subjiciens *non alio visuntur loco quam hic*? An puer grammaticalibus rudimentis vix imbutus tantopere desiperet? Pro *ubique* poni debuisset *nullibi*, si latina vox foret. Cum vero *nullibi* latina vox non sit; quisquis latine sciens, facile dixisset: *nusquam*, vel *nusquam gentium*, vel *non alibi*, vel *non alio in loco tot tantaque naturæ miracula spectantur*. Inter hæc autem miracula longe maximum est Alfenus ipse, qui cum latini sermonis ignarissimus sit, latinam epistolam Ampl. doctissimoque Cardinali scribere ausus fuit. *Non est tamen apud nos plebeja illa fex sellulariorum, vilissimi opifices, qui fortuna miseri, voluntate perditi ipsum sellæ opus quæstus quotidiani loco habent,*

neque

neque ipsa præfervida in æstate sibi parcunt , quotidie docent , discunt nunquam , ita existimant salvum habere quotidianum quæstum , ut quem doctum virum honestum in civitate suspiciunt , calumnia turpi inurunt , eique oblatrantes occurrunt , conviciisque e trivio arreptis afficiunt , & quum pessundare verbis volunt , id non obtinent , nihil aliud faciunt , ut navim in qua ipsi navigant perforare conentur , proximique sunt , quos fluctus absorbeat . Hic Lande, nisi tu, qui Alfeni sensus, mentem, animum, animamque ipsam pulchre calles, interpretis mihi vicem præstes , frustra ego Cl. Viri sententiam inquisiero . Etenim in tota epistola neque prolixior, neque sublimior, neque implicatior, neque insulsior , neque injuriis confertior periodus invenitur . Ita prorsus , Quiritalle, respondi, faciundum fuit. Nam sicut nocturni festivique ignes artificiales tonitruali fragore magnificentius finiuntur ; ita epistola meris elegantiis, leporibusque, & argutiolis tota diffluens , prolixiore & aures animumque terribili inconditoque boatu percellente periodo claudenda fuit . Etsi, argutissime Lande, non hac periodo clauditur epistola, ut inquis; hæc tamen sic fini propinqua periodus est, ut pro extrema haberi possit . Deinde a te scire pervelim, qui sint *sellularii*, adversus quos immane quantum Alfenus invehitur: *plebejam fæcem*; *vilissimos opifices*; *fortuna miseros*; *voluntate perditos*; *sellæ opus quæstus quotidiani loco habentes*; *præfervida in æstate sibi minime parcentes* ; *quotidie docentes*, *discentes nunquam* ; *doctis honestisque Viris turpes calumnias inurentes* , *oblatrantes* , *conviciisque e trivio*

arre-

arreptis animo quidem officere optantes, re tamen non officientes; *quin navim, in qua ipsi navigant, perforare conantes, proximosque, quos fluctus absorbeat*, vocans? Aut, Lande, *sellularii*, de quibus Alfenus loquitur, vere, ut ipse affirmat, tam & viles, & scelerati sunt homines, quam ipse notat, ac merito totius eloquentiæ, eruditionis, contumeliarumque viribus eos insectatur; aut, quod minime credendum est, gravem aliquam ab *sellulariis* hisce injuriam acceperit; quamobrem eis iratus, decoris honestique oblitus, a turpibus, & ipsa proletaria plebe indignis verbis J. C. Cl. & Pandectarum Jurisque Feudalis Antecessor Ticinensis abstinere potis non fuerit. Recte putas, Majo, respondi: nam Alfenus, quem ipse intus & in cute novi, ita sobrius, modestus, prudens, atque officiosus est, ut nec verbum paullo anceps, nisi justa magnaque ira commotus, proferre ausit: Alfeno, mi Quiritalle, pudore ac doctrina haud parem invenies. Si ei superstes fuero (quod cum illo ita pactus sum, ut si vicissim ille mihi superfuerit, tantundem mihi faciat) historicum elogium tanti Viri cum litteraria republica communicabo, quo cum acre ingenium ejus, tum egregios mores, & multiplicem reconditamque doctrinam singillatim enarrabo, atque in primis auream illam prælectionem in Pragmaticas Neapolitanas (quæ J.C. incomparabili apud imperitos malignosque invidiam tantam peperit) commentabor. Nec me quicquam movet, quod Vir Cl. ab nostris curialibus non intelligatur. Nam, ut ex eis,

quæ

quæ huc usque notavimus, apparet, Taciti æmulator Alfenus, morosis tuis grammaticis tantum non obtemperat, ut contra perpetuum eis bellum intulerit. Minus etiam offendor, quod Vir Cl. *locatorem ædium* pro *conductore*, & *conductorem* pro *locatore* sumpserit; & quod hujus generis sexcenta incogitanter inscienterve peccarit: hæc enim nobilissimus J. C. velut grammaticalia, aspernatur. Alfenus meus, Alfeni Vari antiquissimi J. C. heres & sectator, verborum etyma & significationes, non grammaticorum, sed suopte ingenio arbitratuque statuit. Proinde solœcos, quibus vulgares nostri sellularii grammatici ejus orationem scatere ajunt, ceu Plautinos sales leporesque maxime admiror. Hoc pacto, ornatiss. Lande, nihil tam erit absurdum, quod te judice, præclarum etiam, atque imitandum non sit! Ecquid tibi videretur, si modo dixerim: *vide, ne tua ista infatuabere doctrina*! Et ego: id vero, egregie Majo, absurdorum longe absurdissimum est: nam quis adeo grammaticæ rudis esse potest, quin sciat, particulam *ne* ad subjunctivum tempus verbum ablegare? Proinde, dicere debueras: *vide, ne tua ista infatuere doctrina*! Ita ne putas Lande? Ita prorsus. Atqui quod modo dixi, id meum non est, sed Alfenianum; puerique, cum aliquem, ut litterarum inscientissimum traducere volunt, Alfenianum hoc maximo risu proferunt. Tua vero hæc est, Quiritalle, ex tempore excogitata calumnia, ut me imprudentem imparatumque opprimeres, atque ab amicissimo doctissimoque Alfeno abalienares. Verus sum Lande; ac si mihi non

credis

credis vel hos adolescentulos, vel alios interroga, e quibus & hoc & alia pluscula agrestis elegantiæ plenissima Alfeniana dicta cognosces. Sed ne frustra tempus altercando teramus, mellitissime Lande considera, quot in proposita periodo absurda, & menda occurrant: *Non est tamen apud nos plebeja illa fex sellulariorum, vilissimi opifices, qui fortuna miseri voluntate perditi ipsum sellæ opus quæstus quotidiani loco habent.* Quodnam hoc constructionis genus est? Tum si, ut ait, *sellularii*, *vilissimi opifices* sunt, necessario miseri, & proinde minus liberali aut pudico (vel ut Alfeniano verbo utar) minus *decoro ingenio*, atque adeo, & toto anno, seu rigens hiems, seu ver pluvium, seu fervens æstas, seu insalubris & varius autumnus fuerit, quotidiano quæstui addicti esse debent. An isti nobiles, opulenti, officiosique forent, si desidem vitam agerent, & noctu vias obsiderent, & obvios spoliarent & interficerent? Num injuria in opere, seu opificio, e quo victum sibi comparant, seduli assiduique sunt? An *sellulariis* hisce, tam felicibus esse sperandum fuit, ut, quemadmodum Alfeno magno contigit, e patria evocarentur, in Insubria sedem collocarent, ac splendide opipareque viverent? Alfeno, utpote Viro omni occultiore doctrina ornatissimo, tam esse beato, jure quodam suo sperandum id fuit; ceteris vero pinguiore ingenio, levioreque scientia præditis, non item. Propterea ineptit, vel potius delirat, Alfenus, velut probra objiciens *sellulariis*; quæ, si recta uteretur ratione, eis magnæ laudi verteret. *Sellæ* autem *opus*, ut candide fatear,

quod

quod ſit, neſcio. *Sella* enim multiplex eſt, ut *curulis*, quæ perhoneſta fuit; tum alia, quæ *familiarica*, aliterque *Patrocliana* dicta; alia quæ *matronalis*; alia quæ *obſtetricia*; alia quæ *arcera*, ſeu lectica; alia denique altior, planior, latior, & magnificentius ſtrata, qua jam ætate confectus, honoribuſque maximis perfunctus, pompa quarta maxima, ſuccollantibus e nobiliſſimo Pollinctorum collegio quatuor (ſi ſuffecerint) valentiſſimis juvenibus, efferetur incomparabilis J. C. Dominicus Alfenus Varius Anteceſſor Ticinenſis. Quam ex his *ſellam* Alfenus intelligat, difficile dictu eſt. Potiſſimam vero *ſellam*, Angele, omiſiſti. Quam? Doctorum, ſive profeſſorum, quæ vulgo *cathedra*, & *exedra* dici conſuevit. *Sellam* hanc tecte innuit Alfenus, quam tu cum tua tanta ſellulari eruditione, ne opinando quidem indicaſti. Nonne in mentem tibi venit illud Ciceronis ad Atticum: *Maloque in illa tua ſedicula, quam habes ſub imagine Ariſtotelis ſedere, quam in iſtorum ſella curuli?* *Sella* igitur, cujus *ſedicula* & *ſellula* diminutivum eſt, pro philoſophorum, rethorum, aliarumque liberalium diſciplinarum profeſſorum *cathedra* accipiebatur; tantumdemque de *exedra* intelligendum eſt, velut ex alio ejuſdem auctoris loco palam fit: *Offendi* (inquit) *eum ſedentem in exedra, & cum C. Vellejo Senatore diſputantem*. Ceterum *cathedra*, ut tibi notum eſſe debet, hoc diſtabat a *ſella*, quod illa ſublimior erat, & ſuppedaneum habebat atque umbellam. Quare *cathedra*, vel *exedra* primitus doctorum profeſſorumque, deinde vero Pontificum etiam, & Epiſcoporum Ec-

 cle-

clesiæ propria fuit, atque est *sella*. Sicut igitur è *cathedra* fit *cathedrarius* (non autem *cathedraticus*, ut vulgo creditur); ita ex *sella*, quæ *cathedræ* æquipollet, derivari potest *sellularius* (minime vero *sellarius*, qui aliud significat) sive Alfeniano sensu *cathedrarius*. Proinde, suavissime Quiritalle, hoc *sellulariorum* nomine ludens Alfenus, non viles artifices, qui sedendo opus suum conficiunt, sed liberalium studiorum professores, & proprie *cathedrarios* appellavit. Quam ob causam subdidit, *eos quotidie docere*, *nunquam* vero *discere*. Quamquam enim *docere* & *discere* tam litteris, quam artibus commune sit; tamen ob excellentiam (ut ajunt) *docere* & *discere* de litteris, liberalibusque ceteris disciplinis speciatim usurpatur. Erudite accurateque, mi Lande: Alfenum vero, cujus eruditio, quam & modica, & retusa, & rustica sit, ex hactenus dictis luculenter perspicitur, huc spectasse, incredibile mihi prorsus videtur. Adhæc, etsi recte ex vocabuli etymo, & duplici Ciceronis loco, atque ex totius sententiæ complexu, *sellularios* pro *cathedrariis*, sive lycei *professoribus* interpretatus es; tamen nullius scriptoris auctoritate probabis, *doctores professoresque litterarum*, *sellularios* unquam appellatos fuisse. Contra *artes sellulariæ*, & *artifices*, aut *opifices sellularii*, apud veteres, & maxime apud *Jurisconsultos*, frequenter leguntur. Postremo haud probabile videtur, Cl. Virum Alfenum, qui & ipse *cathedrarius* est, atque ab Alfeno Varo (cujus, ut heres, nomen assumpsit) recta originem ducit, tantopere munus pensumque suum contemnere voluisse. Scite

te tu quidem differis, Quiritalle; sed, ut tibi dixi, res habet. Postquam enim nec semel, nec iterum, sed pluries ab nostro lyceo Alfenus ejectus fuit, tanto in nostros professores exarsit odio, ut eos non alio, quam vili *sellulariorum artificum* nomine appellare dignatus sit. Nec, si aliter dixeris, ullum sensum ex universa periodo colligere poteris. Quin, ut omnis tibi scrupulus evellatur, verba illa perpende: *neque ipsa præfervida in æstate sibi parcunt, quotidie docent, discunt nunquam, ita existimant salvum habere quotidianum quæstum.* Quibus sane verbis apertissime nova Lycei constitutio notatur, qua factum est, ut dies scholastici, qui olim XV. Kal. Quinct. finiebantur, ad usque III. Kal. Octobr. prolati sint; atque inde, ut ipso æstatis fervore, quo corpora exsolvuntur, atque acribus studiis minime paria ingenia sunt, professores docere cogantur. Potest ne verbis his sensus alius inesse? Vicisti Lande, sic est. Nunc quidem, ut cetera intelligo, quæ me tranversum egerant (de quibus mox dicam); sic ex *quæstu quotidiano*, *sella*, & *fortuna miseris*, *voluntate perditis*, aliisque vocibus, queis, ceu præclaris titulis, Alfenus tuus, sapientissimus pudentissimusque, litterarum doctores nostros decoravit, loci cujusdam Ciceronis mihi recursat species; qui quidem locus, si bene memini, in quarta *Catilinaria* finem versus exstat. Mihi quoque, dixi, Majo, hujus loci aliquid animo obversatur. Ac ne memoriam torqueamus, ecce tibi Ciceronis orationum tomus, quo *Catilinariæ* continentur. Et ille statim (paratum venisse, Alfene, credidi) locum reperit, mi-

hi legendum dedit; & cum tuis verbis contulit: Ego illa tantum verba proferam, quæ ad rem tuam faciunt: *Quare*, inquit Cicero, *nulli sunt inventi tam aut fortuna miseri, aut voluntate perditi, qui non ipsum illum sellæ, atque operis, & quæstus quotidiani locum . . . . . salvum esse velint*. Quibus verbis cum ipse nonnihil conturbatus essem, protinus acer hostis animosior factus, dixit: vides, Lande, quam diligens imitator, descriptorque auctorum sit Alfenus? Quid inde? mi Quiritalle, respondi. Quotusquisque hodie non ita scribit? Quin satius esset, sic eos omnes facere, qui per sese boni nihil præstare valent. Hoc autem, Lande, non est scribere, sed describere, sive potius suffurari, & aliorum scripta corrumpere. Verba, phrases, sententias ipsas ex auctoribus sumere, non modo licet, verum etiam est necesse; integros autem locos non licet, nisi auctoribus ipsis allegatis. Quid, Majo, dicis? Non licet nobis igitur celebres auctores imitari? Imitari tum licet, tum etiam oportet optimos auctores, Lande. Alfenus vero non imitatur, sed aut exscribit, aut permiscet, aut depravat auctorum locos. *Nam fortuna miseri, voluntate perditi* integrum desumpsit, suumque impudenter fecit. *Sellæ* autem *opus*, quod Alfenus dixit, omnino corruptum est ex Ciceronis verbis illis: *qui non ipsum illum sellæ, atque operis . . . . locum salvum esse velint*. Cicero dixit, neminem ex egentissimis flagitiosissimisque inventum esse, qui *sellæ*, & *operis*, & *quæstus quotidiani locum salvum esse non vellet*. Et recte: quisquis enim certum, liberum, tutumque locum, in

in quo ſedeat, & opus ſuum faciat (unde *opificium* dictum eſt) atque ex illo quæſtum quotidianum ſibi comparet, percupit. *Sellæ* vero *opus* (quod quiſque, ipſa cogente natura, quotidie vitæ valetudiniſque cauſa, explere conſuevit) nova plane locutio eſt; qua, ſi Cicero uſus eſſet, univerſo Senatui, ob *Catilinæ* conjurationem nondum penitus exſtinctam, mœrenti trepidantique, tamen riſum expreſſiſſet. Cum his igitur urbis Romæ miſerrimis ſceleſtiſſimiſque civibus (quos Cicero, inſignibus illis verbis, *fortuna miſeros*, *voluntate perditos*, deſcripſit) Alfenus tuus, vir modeſtiſſimus, noſtri lycei profeſſores comparat? Jure quidem, Majo, ob hæc Alfeno diem dicis. Attamen homini natura irritabili, & veteris in patrium lyceum odii non immemori, & recentis inſperatæ fortunæ flatu elato, hæc, quamquam intoleranda, ſcribendi ratio remittenda. An putas, Alfenum, ſtatim atque in ſe redierit, peccatumque agnoverit, non magnopere pœniturum? Quin jam, ſapienpientiſſime. Lande, ac ſerio, niſi prorſus amens eſt, eum peccati pœnituiſſe puto. Siquidem amici ejus omnes ita verborum ejus ſignificationem leniter interpretantur, ut peccatum non diffiteri, ſed excuſare velle videantur. Sic vero, Quiritalle, amici faciunt; & niſi faciant, graviter, ut ipſe arbitror, peccant. Atque ego ipſe, vide candorem meum, nolens in Alfenum peccavi. Nam niſi tibi ſententiam periodi, in qua extricanda tamdiu immorati ſumus, explicuiſſem, nihil omnino ejus intellexiſſes. Quare in me tota hæc recidit culpa. Noli vero, Lande, hac te religione excruciare.

Satis

Satis ego verborum tenebam ſenſum; ſed a te ipſo, ut Alfeni amiciſſimo, exquirere volebam, ut te ipſo, teſte tanto, reum peragerem. Quod cum perfecerim, ad cetera grammaticalia ejus ſcelera exponenda progredior. Perge, Majo, ac me, teque ab moleſto, nulliuſque bonæ frugis labore expedi. Quæ reſtant, Lande, eadem ratione excutienda ſunt: *ut quem doctum virum honeſtum in civitate ſuſpiciunt, calumnia turpi inurunt, eique oblatrantes occurrunt, conviciiſque e trivio arreptis afficiunt, & quum eum peſſundare verbis volunt, id non obtinent, nihil aliud faciunt, ut navim in qua ipſi navigant perforare conentur, proximique ſunt, quos fluctus abſorbeat.* Doctus honeſtuſque vir iſte, ipſe Alfenus eſt, merito, ut tantus vir de ſe prædicat, in civitate ſuſpiciendus. Atque iſtum tantum virum (proh facinus indignum!) *calumnia*, &, quod gravius eſt, *turpi calumnia inurunt*: nam, ejus auctoritate, *calumnia* duplex eſt, *bona* & *mala*, ſive *honeſta* & *turpis*; quemadmodum duplex eſt *dolus* & *malitia*. Dii immortales, quanta eſt Alfeni Juris ſcientia! *Eique oblatrantes occurrunt, conviciiſque e trivio arreptis afficiunt*. Quot, mi doctiſſime Lande, in uno ſive colo, ſive membro, conſtructiones! *Doctum virum honeſtum calumnia turpi inurunt*, prima eſt conſtructio; cui proxime ſuccedit ſecunda, *eique oblatrantes occurrunt*; tertioque loco recurrit prima, *conviciiſque e trivio arreptis afficiunt*. Neſcierat Alfenus, *latrare* & *oblatrare* cum quarto caſu recte conſtrui; itaque confugit ad verbum *occurro*, ut ſic tertio caſu certius uti poſſet. Neſcie-

ſcierat etiam *latrare* æque cum accuſandi, quam dandi caſu, apud idoneos auctores inveniri; itaut *latrare aliquem* activa ſignificatione, recte latineque dicatur, atque idem ſignificet, ac *maledicere*. Propterea una eademque conſtructione dicere potuiſſet: *ut quem doctum honeſtumque virum in civitate* (quid, Lande, ſi in oppido, aut vico, pago, villa?) *ſuſpiciunt, calumnia inurant* (*non inurunt*) *& latrent, maledictiſque* (non *conviciis*: inter *convicia* enim & *maledicta* multum intereſt) *e trivio arreptis inceſſant* (ſive *afficiant*, non *afficiunt*) atque eodem tenore ad finem. *Maledicta e trivio arripere*, Ciceronis locutio eſt; adeoque corrumpi non debuit. Verum loquacitas hæc tanta, inanis prorſus eſt; nam tantum eſt, *calumnia aliquem inurere* (modo latine id recte diceretur) quam vel *latrare*, vel *maledictis aliquem figere*. *Peſſundare aliquem verbis*, nova & ingenioſa locutio eſt, ceteris latino-barbaris nuperrimis phraſibus lexici Alfeniani addenda. Quid pulcherrimam hanc locutionem damnas, Quiritalle? Num non poteſt aliquis contumeliis, maledictis, opprobriis aliquem aggredi, & obruere? Utinam, Lande, nemo id poſſet! namque Cl. Alfenus tuus tot honeſtiſſimos viros, quorum æquiſſimo & maxime ſalutari judicio e Neapolitano Lyceo ejectus fuit, iniquiſſime non momordiſſet. Dolori hoc, Quiritalle, jam pluries dixi, tribuendum eſt. Omnes enim, qui cauſa cadunt, judices ſuos criminantur. Atque hi *verbis peſſundant*. Contra qui aut *bonis*, aut *famæ*, aut *corpori* cujuſpiam damnum inferunt, *re*, non *verbis peſſundant*. Euge, ſubtiliſſime

me Lande! Quare duplicem hanc pessundendi speciem, Juri Langobardico Alfeniano, te auctore, adjiciemus. Quis vero, mi Lande, ceteros immanes errores ejus persequetur? Et *quum eum pessundare verbis volunt, id non obtinent, nihil aliud faciunt, ut navim, in qua ipsi navigant perforare conentur, proximique sunt, quos fluctus absorbeat*. Quæ verbis his, per tuum festivum caput, te oro & obsecro Lande, continetur sententia? *Pessundare verbis volunt, id non obtinent?* Quid *non obtinent?* proscindunt ne opprobriis & maledictis, an secus? Si faciunt, consequuntur, quod volunt (scilicet obruunt maledictis); sin minus (nimirum si a maledicendo abstinent) qui consequi possunt, quod non aggrediuntur? O Lande, *quanta* Alfeni *species* est, sed, ut inquit ille, *cerebrum non habet*. *Nihil aliud faciunt, ut navim in qua ipsi navigant perforare conentur*. Tria in paucissimis verbis errata. Primum est, *ut navim*; omnis enim ratio postulat, *quam ut navim*, aut rectius, *nisi quod navim*. Secundum, *in qua ipsi navigant*: Latinis quidem familiaris locutio fuit, *in eadem navi sumus*; ignota vero & ridicula, *navis, in qua navigamus*: *navigatur* enim *in mari*, *navi* autem *navigatur*. Cur non dixit, *navem, in qua sunt*? Postremum est, præpositionem *in* ante relativum *qua*, superfluam esse, ac magno patrocinio indigere. Lande, mihi crede, Alfenus tuus nec a limine latinitatem salutavit: quamquam ipse eloquentior Tullio, & Tacito sublimior sibi videatur. *Tum, ut navim, in qua ipsi navigant, perforare conentur* (commata e re adjicienda putavi) *proximi-*

ximique ſunt (pro *ſint*) *quos fluctus abſorbeat*. Miræ ſententiæ par elocutio reſpondet. Metaphorice loquitur hic Alfenus, contra morem veterum J. C. qui ſimpliciſſime planiſſimeque loquebantur. Ait vero, lycei noſtri profeſſores inteſtino, atque intenſo mutuoque in ſe odio flagrare. Quod mendacium, non niſi ab Cl. Alfeno proficiſci poterat. Quantum enim ego, qui Corvi, aut Cornicis ætatem jam exæquo, memoria complector, quantumque a natu majoribus, deceſſoribuſque lycei ſervitiis accepi, profeſſores noſtri nunquam inter ſe litigarunt. Siqua vero in noſtro lyceo contentio fuit, inter candidatos, ſive cathedrarum petitores, non inter profeſſores fuit; eaque, uſque ad Alfeni tui infauſta tempora, permodeſta & liberalis. Statim ac vero, peſſimo publico, Alfenus Varius petendæ cathedræ in lyceum irruit, nobilis illa æmulatio in obtrectationem, rivalitatemque animoſiſſimam evaſit. Unanimiter igitur Præfectus lyceo, Profeſſores, Senatoreſque decreverunt: *Ut in præſenti cuicui, præterquam Dominico Alfeno Vario, demandetur cathedra; poſthac Dominico Alfeno Vario neque petendi cathedram, neque in lyceum pedem inferendi jus faſve ſiet. Si quis alius aut Alfeni, aut Varii nomen habens, peteſſit cathedram, eaque dignus videatur, ea lege obtineat, uti nomen mutet: Alfeni & Varii nomina lyceo, litteris, & litteratis viris ominoſa, ex profeſſorum albo abeſſe oportere.* Proinde quantam lætitiam Alfeni profectio Profeſſoribus, Senatoribus, univerſiſque litterarum cultoribus attulerit, vel inde argumentari licebit, quod extemplo contentiones evanuerint, candidati-

que bonis artibus cathedras petierint, & qui tulerint repulsam, se modestissime gesserint. Itaque lyceum & litterarum studiosa juventus vere, ac sæpe, lætissimeque clamat Tullianum illud: *abiit, excessit, evasit, erupit* Alfenus, lycei, litterarum, concordiæ, urbanitatis pestis. Bona verba, Majo. *Abiit, excessit, evasit, erupit*, Catilinæ, non Alfeno accommoda sunt verba? Ohe! satis superque lineas transilis, Quiritalle. Non ego, mi Lande, sed Alfenus prior, recti honestique modum transiluit. Qui si, ut debuit, bene dixisset, audisset bene. Quoniam vero prior maledixit, æquo nunc ferat animo, si ei pariter æqualiterque maledicatur. Anne Alfeno, quia medii barbarique ævi J. C. est, præter jus & fas, lycei nostri professoribus, de quarta *Catilinaria* desumptis prætextatis verbis (*fortuna miseris, voluntate perditis*, & hujus notæ aliis) insultare licuit; mihi vero, & optimo jure, ejus tela pari vi repellere non licebit? Ubinam gentium, Lande, sumus? Perge. Sed quid te ulterius moror, Lande, crassissimis aliis erroribus indicandis? Quam & lepidum & elegans illud est: *ut navim, in qua ipsi navigant, perforare conentur, proximique sunt, quos fluctus absorbeat*! Lusit Alfenus magnus in eis verbis, *quos fluctus absorbeat*; hoc pacto, diras, quas professoribus, nihil tale meritis, Vir (si dîs placet) doctus atque honestus Alfenus J. C. & Antecessor Ticinensis imprecatur, locutionis ambiguitate obtegens. Quis etiam non admiretur sententiam verbis illis, *salvum habere quotidianum quæstum*, expressam! Quisquis artem aliquam profitetur, e qua

victum,

victum, vestitum, vitæ commoda & voluptates sibi comparat, eam sibi salvam esse vult. Nonne terra marique exitialia bella, propter opulentiam populorum, & amplius principum imperium, ab ipso pene orbe condito exstiterunt? Si Alfeno salvus fuisset quæstus in patria, Ticinum non adisset. At quis Alfeni mentem satis laudabit, legens: *ut quem doctum virum honestum in civitate suspiciunt, calumnia turpi inurunt* . . . O Vari, qui *aliquem suspicit*, *calumnia inurere non potest*. Rationem ne quoque & communem sensum nobis adimere conaris? Quod si, Lande, Alfenus (quod omen, & ipsius & nostrum omnium bono, Deus avertat) Ticino expellatur, revertaturque in patriam, nihil in orbe terrarum urbe Ticino, ejus civibus, lyceo, rectoribus vilius, tetrius, & inauspicautius erit. Sed quia liberale hospitium Ticini nactus est, ideo urbe Neapoli, ejusque civibus, lyceo, & moderatoribus, nihil exsecrabilius esse Vir doctus, & honestus, civisque patriæ amantissimus, edicit. Quanto lenior Ovidius, qui Roma jussus excedere, odium in patriam & Augustum, patriæ caritate, anteactæque vitæ conscientia, inter oppositos odii amorisque affectus animi pendens, cecinit:

Parve, nec invideo, sine me liber ibis in urbem:
Hei mihi! quo domino non licet ire tuo.

Alfenus vero amarior, nullo amoris lenimento, odium suum omne in patriam, cives, lyceum, professoresque affatim patefecit. Lande, cedo mihi, quodnam Ticini Alfenus munus sustinet? Ridicula, Quiritalle, interrogatio; quasi nescias, quod

 toties

toties dixisti? At si mea ridicula est interrogatio; quanto magis ridiculus est Alfenus, qui cum & ipse sit *sellularius*, *opus sellæ* tantopere spernit? An vero Ticinum petiit, ut sine stipendio, honoris tantum causa, Pandectas & Jus Feudale publice doceret? Minime vero, Majo: Alfenus enim (quod nostræ classis jurisconsultis, eruditisque viris non raro usuvenit) identidem fame compulsus vel ab amicis, vel a pauculis misellisque domesticis auditoribus, velut stipem quærere cogebatur. Victus causa, Quiritalle, totiens lyceo expulsus, ingrata tandem patria, Africanus alter, excessit, Ticinum se contulit, ibique sedem fixit, omnique reditionis in patriam spe sublata, tumulum quoque sibi vivus, raro exemplo, in hospitali Ticino, hoc non illepido eprigrammate insculpto, excitavit.

M. Æ.
DOMINICVS. ALFENVS. VARIVS. PATRIA. SALANVS
INGENIO. ERVDITIONE. EDITIS. EDENDISQVE
BARBARI. ÆVI COMMENTARIIS. CLARISSIMVS
MORTIS. MEMOR. VIVVS. SIBI. POSVIT
INGRATA. NEAPOLIS. QVEM. VIVVM. ODISTI
MORTVVM. LVGE
VIXIT. AN. M. D. OBIIT. AN.
S. H. H. N. S.

Ludis ne, an illudis, Lande? Alfenus sepulcrum cum elogio vivus sibi fecit? Si meismet oculis viderem, non crederem. Sic est. Nec, si verum elogium tumulo ejus inscribendum foret, aliud esse posset. Satis jam, quod huc usque implexe locutus es, intelligo. Posthac igitur sive bene (quod vix credibile) sive male (quod sponte

na-

naturæ facit) de lyceo Neapolitano loquetur, perinde, ac si loquendi scribendique facultatem omnem amisisset, auscultandus erit. Quis enim aut stultior, aut efferatior Alfeno esse, aut fingi potest, qui ut aliis contumeliam faciat, sibi quoque injurius est? *Honorarium* professorum professor ipse, *quæstum quotidianum* vocat; quo nomine diurnum artificum, & operariorum, gregariorumque militum stipendium audit? *Sellularios*, professores liberalium disciplinarum professor ipse Juris Civilis & Feudalis Ticinensis appellare non veretur? Nimis, Quiritalle, morosus & instans es. Lætitia plenus inter scyphos amicosque ludens Alfenus hæc scripsit. Ergo lege, quod restat, pessime Quiritalle, molestique sermonis finem faciamus. *Hæc omnia quæ dixi pro immensitate beneficiorum Domus Augustæ in me collatorum, pro dignitate etiam hujus urbis animos augent, ut quam citissime Vate Sacco amplissima Civitatis adeam tabularia antiquis referta monimentis*. Eodem prorsus lutulento, aut fæculento tenore, Lande, a capite ad calcem usque decurrit Alfeni oratio. Ac si quis, commata e scriptura eliminanda existimaret; is quidem Alfeni magni auctoritate niti posset. Etenim Alfenus, singulas periodos finali puncto, & singula periodorum membra vel nullo, vel simplici tantum commate dispescenda docuit. Hac etiam in re Alfenus a ceteris cum antiquis, tum nuperis Latinis, Italicisque scriptoribus longe abit. Atque inde, Lande, obscurior fit sodalis tui scriptura. Quot autem, præter hæc, in modo allata periodo Langobardicæ spectantur venustates! *immensitas beneficiorum*, pro

ma-

magnitudine beneficiorum, nec legi unquam, nec (si aliquando legatur) imitandum esse putem. Sed hoc levius: illud vero: *pro immensitate beneficiorum domus Augustæ in me collatorum*, ecquis, grammaticæ rudimenta edoctus, concoxerit? *Tanta enim*, inquit Cicero in prima Famil. *magnitudo est tuorum erga me* (aut *in me*) *meritorum*... Satis erat dicere: *pro immensitate beneficiorum domus Augustæ in me*. Nam *collatorum cum domus Augustæ* pessime cohærescit. Oportebat enim dicere: *pro immensitate beneficiorum ab Domo Augusta in me collatorum*. Totam igitur periodum sic reforma. *Hæc omnia, quæ dixi, pro magnitudine beneficiorum ab Domo Augusta in me immerentissimum collatorum, & pro dignitate hujus urbis, animum mihi faciunt* (vel *addunt*, potius quam *augent*), *ut protinus, Sacco vate duce, amplissimum Civitatis tabularium* (*tabularia* plurali numero & rarum & poeticum est) *vetustis codicibus & monumentis locupletissimum inspiciam*. Lande, si tua tibi cordi est existimatio, ipse tibi sum auctor, ut Alfeni amicitiam dissuas, vel potius dissolvas. Nam si illum amare pergis & defendere, cordati omnes te Alfeni similem, h. e. ignarissimum judicabunt. Enim vero, Majo, quanto tu plus æquo acrior, aut truculentior in Alfenum meum es; tanto vicissim ego Alfeni patrocinium studiosius & alacrius arripio. Etenim si vel amicitiam, vel jam susceptam defensionem spectare velim, Alfeni mei causam non deseram. Ac, ne tibi quicquam reticeam, mea hæc est causa. Vis enim ingenii, mi Quiritalle, tum elucet, cum deterrimam causam quis de-

defendit. Sed hæc Alfeni caufa optima eft, quamvis tuo, & inimicorum ejus aftu peffima videatur. Perge igitur tuo more, fiquid reftat, excutere. Ultimo ipfe, quod e re videbitur, dicam. Mos geretur Lando. *Veniam etiam Modiciam tuam*, (*quod municipium nobiliffimæ genti tuæ fœdere feudali paret*), *quæ omnia conquirere poffum documenta colligam atque explicabo etiam*, *quibus locis operum meorum inferi poffunt a me recenfenda expectent*. Primo autem notes velim, Lande, *Modiciam*, quæ & *Modoetia* & *Modifia* aliis fcribitur, atque italice dicitur *Monza*, velut urbem ab Alfeno accipi (qualis olim fuit); deinde in parenthefi *municipium* vocari; ait enim: *Veniam* . . . *Modiciam tuam*; ftatimque fubjicit in parenthefi: *quod municipium nobiliffimæ genti tuæ fœdere feudali paret*. Adhuc igitur, Lande, funt municipia? Quo autem pacto *municipium* cum *feudo* cohæret! Secundo, quodnam novum hoc eft *fœdus feudale*? *Jus feudale*, cujus infignis Doctor eft Varius, commune nihil mihi habere videtur cum jure municipii; modo Alfenus per *fœdus feudale*, jus *feudorum* non intelligat. Tertio, Alfenus tuus, qui commatum avariffimus eft, cum neceffaria funt; hic ante, & poft parenthefim, ubi nullus eis locus effe creditur, appofuit. An, ut præfenti infolita largitate, præteritam avaritiam quodammodo compenfet? Quarto: *veniam etiam* . . . *atque explicabo etiam*. Quænam hæc, Lande, infulfa eft repetitio? Quinto: *veniam* . . . *Modiciam tuam* . . . *quæ omnia conquirere poffum documenta*. Nonne conjunctiva hic aliqua particula *&*, vel *atque*, ante rela-

relativum *quæ*, requirebatur? Mitto elegantiam illam: *veniam . . .* & *quæ . . . conquirere possum.* Sexto: *veniam . . . documenta colligam atque . . . explicabo . . . quibus locis operum meorum inseri possunt* (pro *possint*, pereleganter!). Atqui periodus sententiaque hic apte concludebatur; nisi quod noster gloriosus homo, qui antehac perpauca & tantum affecta opuscula, præcocique fato extincta prodidit, nunc *opera sua* fidenter polliceatur:

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu!

Septimo: *quibus locis operum meorum inseri possunt a me recensenda expectent*. Si prostrema hæc verba: *a me recensenda expectent* (aut rectius *exspectent*) omisisset, cum melius magnificam periodum conclusisset; tum vero non excusandum errorem declinasset: nam quis risum contineat, legens, *documenta colligenda exspectare debere*, quibus locis a Vario recensenda sint? Potest ne vel idiota animi sensa deterius exponere? Essent alia quoque notatu digna, quibus, ne tibi dolor magis augeatur, abstineo. Vide igitur, & omni partium studio deposito, serio tecum reputa, num ego asper, acerbus, morosus, mordax, malignus, iniquus, vilis grammaticus, & ineptior grammatista sim; an vero Alfenus J. C. ad grandia arduaque contendens, verbum verbo annectere nesciat? Perge, Majo, dixi. Ego vero pareo. *Neque sumptui parcam neque labori, ut præstantissima hæc urbs supra ceteras Italicas caput efferat,*

quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Gratulare Alfeno tuo, Lande, qui cum inanibus locu-

loculis Neapoli profectus fuerit, brevi (anno, aut paullo amplius) Ticini ad tantas pecunias venerit, ut itiones, mansiones, reditiones, & quicquid præterea ejus *municipii* documentis eruendis, ordinandis, illustrandisque opus fuerit, in se recipiat. Quod etsi prima fronte magni liberalisque animi indicium videtur; tamen melius perpensum, superbi importunique est. Proinde modestius dixisset: *Nec tempori, nec labori, nec industriæ parcam, ut, quantum in me sit, præstantissima hæc urbs ad veterem gloriam reviviscat.* Versus enim ille Virgilii nullo pacto huic comparationi convenit. Nihil jam dicam de sententia. Nam quis in animum induxerit, ut credat, *Modiciam* Alfeno illustrandam, Romæ, Bononiæ, Patavii, Mediolani, Florentiæ, Venetiarum, Neapolis, aliarumque nobilissimarum Italiæ urbium gloriam superaturam fore? Quam multa, Lande, conspirare debent, ut urbs sive nova, sive deserta, eatenus splendescat, ut ceteras florentes urbes non tam vincere, quam exæquare possit! Dubium tamen mihi suboritur, Lande, dignum acumine tuo: de Modicia ne hic loquatur Alfenus, an de Papia? Superius enim de Papia tantum sollicitum se esse ostenderat; qui nunc, præterque propositum, Modiciam quoque pari, aut majore studio illustrare contendit? Est ne, Lande, Modicia, qualis ea cunque sit, cum Papia comparanda? Non levis tua hæc est dubitatio, Quiritalle. Nam Modicia *municipium* vocatur Alfeno, *feudi* titulo nobilissimæ Durinorum familiæ subjectum. Quare, nisi totam Langobardiam Alfenus illustrare velit, quid tibi responderim? Verius tamen mihi videtur, Lande,

K de

le Papia nostrum loqui; tametsi oblitum superioris sermonis, & consueta amphibolia scribentem, quod revera de Papia (monumentis Modiciæ ab se repetiendis) illustranda, exæquanda, & anteferenda cunctis Italicis urbibus, secum animo intelligebat, perversa tamen oratione sua, de Modicia legentibus dictum videri. Jam vero, mi Lande, in portu sumus: pervenimus tandem ad *Vale*. Quod sic Vir illustris nativo lepore suo exornare satagit: *Te oro etiam atque etiam, Mœcenas Eminentissime, ut valeas. Dabam Papiæ VI. Id. Quinctil. anno Christiano CIↃIↃCCLXXX.* Qui quam frigidus lepos sit, nemo, Lande, adeo tardus est, quin persentiscat. At enim id genus conclusionibus pleni sunt Ciceronis epistolarum libri. Num vero similis huic Alfenianæ in illis formula reperiatur, Lande, magnopere dubito. *Vale etiam atque etiam; da operam valetudini*; vel *cura, ut valeas*; aut *vale, vale, & salve*, persæpe occurrunt; *reliquum est, ut te orem, ut valetudini diligentissime servias*, leges etiam apud Ciceronem: *te oro etiam atque etiam*, cum reliquo verborum Alfeni absurdo concursu colligatum, mortali prorsus languore me afficit. Ad finem usque, Majo, nihil vel leviculum, vel subobscurum, vel dubium Alfeno meo condonasti! Nunc tibi paucis respondebo. Et primo scias, J.C. Alfenum dedita opera contra grammaticorum fallaces regulas scribere voluisse, ut & tibi, & tui similibus homuncionibus, nil nisi verborum inanitates edoctis, acerbissimi doloris causam suggereret. Nam quisquis in positu delectuque verborum nimis anxius est, ut sunt grammatici; is in rebus, quæ scientiam continent,

nent, infans esse solet. Tum Quiritalle, Alfenus, qui in medii & barbari ævi scriptoribus evolvendis ætatem consumpsit; latini sermonis puritatem & elegantiam, quamvis optime didicerit, qui tamen scribendo servare potuit? Nihilominus cum insulsas puerilesque accusationes tuas legerit, quæ amarissimum ejus os in te maledicta effusurum sit, provideo. Enimvero, Majo, si ille, ut tute dixisti, nulla lacessitus injuria, tot in lycei nostri professores contumelias jecit; quales quantasque in te improbum lycei famulum jacturus sit, cogita. Ego vero, Lande, tantum id non pertimesco, ut contra maximopere cupiam. Tum enim, Cl. Lande, adolescentulorum scholæ tota urbe lætissime personabunt. Nam si Alfenus sedato animo scribens, tam barbare, confuse, absurdeque scripsit; quid irritato furentique facturus sit, considera. At vero longe falleris, Majo: scribet Varius accurate, dilucide, elegantissimeque. Id vero mihi, Lande, non persuaseris: tot namque Alfeniani stili *documenta* & *monimenta* (ut ipsius verbis utar) tamque inter se similia prostant Neapoli, ut si castigatius, ornatius, luculentiusque velit scribere, ab se ipse non impetrarit. Ac si ejus nomine rectius, clarius, latiniusque perscripta ad me perferetur epistola; adeone, Lande, me credulum putas, ut illam Alfeniani ingenii, & calami habiturus sim? An quæ Alfenus quinquaginta annorum spatio (tot enim annos natus est) non didicit; nunc, ut mihi respondeat, celerrime addiscet? *Hæc res agetur aliis, mihi certe fabula*! Quod ad maledicta, & opprobria, contumeliasque pertinet; Q. Metelli Numi-

 dici

dici optimi sapientissimique Viri verbis, quibus Cn. Manlium tribunum plebis petulantissimum contudit, ipsi respondebo: *Nunc* (sic apud A. Gellium ait) *quod ad illum attinet . . . . quoniam se ampliorem putat esse, si se mihi inimicum dictitaverit, quem ego mihi neque amicum recipio, neque inimicum respicio, in eum ego non sum plura dicturus. Nam eum indignissimum arbitror, cui a viris bonis benedicatur; tum ne idoneum quidem, cui a probis maledicatur. Nam si in eo tempore hujuscemodi homunculum nomines, in quo pœnire non possis; majore bonore, quam contumelia afficias*. Tu vero, Majo, si rescribet Alfenus, ex accusatore in reum, maximo tuo malo, commutaberis, dixi. At coronidis loco, Lande, conclusionem scitissimam Alfeni perpende: *Te oro etiam atque etiam, Mœcenas Eminentissime, ut valeas. Dabam Papiæ VI. Id. Quinct.* *anno Christiano* CIϽIϽCCLXXX: Arridet ne tibi titulus ille *Eminentissime* cum *Mœcenate* copulatus? Nonne rectius dicere potuisset: *Mœcenas optime*, *Mœcenas egregie*, vel aliud quid simile? Tum, ne frigesceret oratio, ante *ut valeas*, supervacuum non fuisset adjicere, *bono Ecclesiæ, reique litterariæ diutissime*: Postremo, te *etiam atque etiam oro*, Lande, ut quis annus Christianus sit, docere me velis. Nam vel hic annus MDCCLXXX. tantum Christianus est, & cunctis Christiani nominis, qui hoc anno vivunt, summopere gaudendum erit; vel superiores anni, a Christo nato ad hunc, fuerunt etiam Christiani, & reliqui ad usque orbis interitum & supremum judicium fluxuri, erunt

runt etiam anni Christiani ; tumque ineptissima dicenda erit Alfeniana scribendi ratio. Oportebat enim dicere: *Anno a Christo nato MDCCLXXX.*, vel *Anno Reparatæ Humanæ Salutis*; vel *Anno ab Orbe Redempto*; vel *Anno a Partu Virginis*, vel *Anno Æræ Christianæ*; vel *Anno MDCCLXXX*. Hæc, mi Quiritalle, quia vulgaria sunt, Alfeno meo, rerum vocumque novarum studiosissimo, displicuerunt, ideoque scripsit : *anno Christiano*. Atque ab initio ad finem non nisi frivola effudisti. Quare jam abi, nec me in posterum revisas. Abiit, mœrentior, an minacior, dicere non queo. Vides, mi Alfene doctissime, quantum pro te certamen sustinuerim ! Tu vero, qui prudentia, æque ut doctrina, ceteris æqualibus tuis longissime antecedis, & post tot sæcula primus Græciæ Sapientum numerum obauxisti, decerne, utrum sit dignitatis tuæ, homini audacissimo, & in re grammatica nonnullius nominis, respondere; an silentio negligere atque obliterare pueriles, aut potius seniles ejus accusationes. Tui quidem (quorum ego facile princeps) pro te fortissime pugnant; consilium tamen tuum tam atrocis famosique libelli in patrium lyceum scribendi, nec tuimet satis vituperare possunt. Si mea tamen quicquam apud te valet auctoritas; tibi, mi Alfene, suadeo ut secunda epistola quicquid prima dixisti, vehementer neges, culpamque omnem transferas in typographum; qui, te inscio, illam evulgarit : *portus* enim *optimus pœnitenti*, tuus inquit Cicero, *est mutatio consilii*. Vale, meque tui amantissimum, eumque sodalem, & defensorem sum-

summum optimumque redama; &, quod commodo tuo facere possis, in tantis divitiis opibusque tuis, *etiam atque etiam juva*. Iterum vale, & salve. Neapoli IV. Kal. Novembr. An. MDCCLXXX. Ex ædibus sedibusque meis in Vico Pediculari.